[illegible] 1827

[illegible]

[illegible]

[illegible] NIS

[illegible]

[illegible]

[illegible]

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

Post decimi saeculi dimidium Olga Igori Russorum principis vidua Constantinopoli se aquis lustralibus initiandam dedit. In Russiam reversa ab Ottone I. Episcopum pro Russis petiit, impetravitque. Refutantur ii, qui hoc in loco Russis Rugos substituunt. Olgae labores in irritum cesserunt: laudatur ipsa tamen, maxime ex eo, quod nepoti suo facem praetulerit. num. 14.

CAPUT IV.

Volodimirus Olgae nepos, et magnus Russiae princeps in urbe Corsun apud Graecos sacro baptismate expiatus matrimonio sibi Annam Basilii imperatoris sororem accepit. Ecclesiasticis viris secum e Graecia adductis, circa decimi saeculi finem Russiam totam ferme ad Christum convertit. Quid Volodimirus tum gesserit pro fidei dilatatione. De Michaele primo Metropolita Kiovlensi, deque aliis Metropolitis, et Episcopis Russiae. num. 22.

CAPUT V.

Praeter Graecos Russi sub initio conversionis suae Latinos etiam magistros et institutores habuerunt. Refertur, et illustratur Ditmari testimonium de laboribus Reinberni Episcopi Colbergensis. Duo insuper testimonia, alterum ejusdem Ditmari de Brunone, et sociis ejus octodecim, alterum Petri Damiani de Bonifacio. Unum eumdemque hominem fuisse Brunonem, et Bonifacium ostenditur. Difficilis Damiani locus, adducto praesertim loco Ademari Cabanensis, perbelle explicatur. Mirum in modum a Latinis promota Russorum conversio est. De Graecorum ritibus, quos a principio sibi Russi adoptaverunt. num. 28.

CAPUT VI.

In Romanae sedis communione Russi a Graecis aeque, atque a Latinis Christo geniti fuerunt. Igitur Graecos, nedum Latinos, tunc fuisse eidem sedi Romanae unitos probatur: idque magis, toto illo tempore, quod inter Photium, atque Cerularium interfluit, schisma numquam inter Latinam, et Graecam Eccle-

siam esse factum. Hoc autem primo attingitur generatim; singulis postea illius temporis percensitis Patriarchis Constantinopoleos, neminem ex eis in Romanam sedem fuisse rebellem evincitur. num. 53.

CAPUT VII.

Quum circa undecimi saeculi dimidium erupit Michaelis Cerularii schisma, male Graeci, et Russi inter se animati erant. Tum Hilarion, inscio Constantinopolitano Patriarcha, in Metropolitam Kioviensem electus fuit. Ante, et post schisma illud cum multis Principibus Latinis sanguinem, genusque suum Russi Principes miscuerunt. Maxime vero eodem saeculo Russorum erga Romanam sedem devotio emicuit, crevitque. Legatis Leonis IX., qui Constantinopoli Patriarcham Michaelem Cerularium excommunicationis fulmine percusserant, tutum perfugium Russi praebuere. Izaslaus nepos Volodimiri Russiae regnum sancto Petro obtulit. Afferuntur litterae sancti Gregorii VII. ea de re ad Izaslaum scriptae. Festum translationis reliquiarum sancti Nicolai ab Urbano II. institutum, quod Graeci

non receperunt, a Russis suscipitur. Agnes Henrici IV. uxor post absolutionem ab eodem Urbano impetratam honorifice accepta a Russis est: Post mortem Hilarionis licet Graecis iterum Russi se submiserint, schismatis tamen participes illico facti non sunt. Ergo concluditur, undecimo etiam saeculo exeunte, in sedis Romanae communione a Russis perseveratum esse. num. 73.

DISSERTATIO

DE ORIGINE

CHRISTIANAE RELIGIONIS

IN RUSSIA.

CAPUT I.

Ratio, cur susceptum sit hoc opus, affertur. Inquiritur deinde, utrum primis Ecclesiae saeculis in Russiam quoque fuerit Christiana fides inlata.

1. Utile admodum, nisi nos fallit amor, opus aggredimur, quum historiam conversionis Russorum instituimus enucleare. Opus admodum utile, non quod ante nos ad illam nemo curas suas contulerit, sed quod nemo hactenus ea, quae ad illam spectant, plane cumulateque complexus sit. Ex iis namque, qui antea in hoc ecclesiasticae eruditionis genere versati sunt, partim inconsiderate, partim consulto, alii brevitatis gratia, alii inopia monumentorum mul-

ta etiam, quae vel maxime videbantur necessaria, praetermiserunt. Nos itaque rem novam non sumus aggressi, sed novam lucem rati aliorum dictis afferri posse, istam elucubrare dissertationem amicorum quoque consiliis moti decrevimus. Porro ea solummodo, quae vera, aut quae similia veri sunt, perpetuo sectari nos ab initio profitemur. Num autem his revera promissis steterimus, aliorum judicium sit. Sed jam ad rem ipsam accedamus.

2. Ac primo operae pretium facturos credimus, si quaestionem illam, utrum scilicet prioribus Ecclesiae saeculis in Russiam quoque inlata fuerit Christiana religio, statim, ac breviter attingamus. Est ergo haec circa illam quaestionem opinio nostra. Quamvis incerta sint, vel prorsus fabulosa pleraque omnia, quae de veterum Russorum gestis narrantur; in Russiam tamen invectam primis saeculis Christianam fidem fuisse valde probabile est. Equidem ab Apostolis, eorumque discipulis praedicatum Christi Evangelium regionibus Russiae finitimis nemo inficiabitur. Satis esset de Illyrico, ac de Germania meminisse. Certe cum in Actis Apostolorum, tum in Epistolis Pauli provinciae Illyrici passim commemorantur. Ad Germaniam

vero quod spectat, secundo vergente saeculo Irenaeus Polycarpi discipulus, *Et neque hae*, inquiebat (*a*), *quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae aliter credunt.* Hujus autem rei Tertullianus quoque scriptor ejusdem temporis testis est clarus, quum (*b*) *Germanorum* loca plane inter *loca Christo vero Deo subdita* enumerat. Atque primordia quidem religionis Christianae in Germania etiam illa, quae Romanis non parebat, saeculo tertio esse vetustiora, ostendunt Hadrianus Dausdeus (*c*), et Cristophorus Cellarius (*d*), et Baltassar Babelius (*e*). Jamvero si primis Ecclesiae saeculis in Illyrico, et Germania haud defuére Christiani, istorum saltem cura atque diligentia propagatam Christi fidem apud Russos non valde quidem remotos, conjecturam facere omnino debemus. Etenim *Complures*, ut Eusebius (*f*) narrat,

---

(*a*) Lib. 1. *contra Haereses* cap. X. pag. 49. edit. Massueti.

(*b*) *Contra Judaeos* cap. VII.

(*c*) *De Majest. Hierarch. Eccl.* edit. ann. 1745. cap. IV. sect. II. num. I. pag. 230. et seq.

(*d*) Diss. *de init. cultioris Germaniae* num. XXV. pag. 591. et seqq. edit. Dissertationum ann. 1712.

(*e*) *Antiq. Germ.* artic. II. pag. 32. et seq.

(*f*) *Hist. Eccles.* lib. III. cap. XXXVII.

eodem tempore viguerunt, inter Apostolorum successores principem obtinentes locum, . . . praedicationem Evangelii magis ac magis promoventes, et salutaria regni coelestis semina per universum terrarum orbem late spargentes. Siquidem plerique ex illius temporis discipulis . . . . , relicta patria, peregre proficiscentes, munus obibant Evangelistarum, iis, qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum praedicare, et sacrorum Evangeliorum libros tradere ambitiose satagentes. Hi postquam in remotis quibusdam, ac barbaris regionibus fundamenta fidei jecerant, aliosque Pastores constituerant, et novellae plantationis curam iisdem commiserant, eo contenti ad alias gentes ac regiones, comitante Dei gratia, ac virtute, properabant. Quare haud videtur procul a veritate abesse, quod Illyrici saltem, atque Germani minime commiserint, ut Russi ambobus quasi proximi in rerum divinarum ignoratione versarentur.

3. Accedit, quod in vastissimis nationibus semper habita Russia fuerit. Eam porro si de antiquis populis, quibus olim praedicata fides est, velimus excipere, Hermae dicta, qui floruit sub finem primi saeculi, reprehendimus,

quod scripserit (g): *Omnes nationes, quae sub coelo sunt, audierunt, et crediderunt, et uno nomine filii Dei vocantur*. Praesertim cum idem ipsum postea, et multo verius, fuerit repetitum ab Justino, et Irenaeo, et Tertulliano, et Origene, et Arnobio, et ceteris (h).

4. Verum de Russia quoque ipsa, de illa scilicet orbis regione, quae post nuncupata Russia est, speciatim loquuti Patres videntur. Joannes Chrisostomus (i) illis populis, quos Apostoli docuerunt, *Scythas* accenset: nominatim vero Andream ad *Scythas* abiisse antea scripsit Origenes (k). Theodoretus autem (l) de regionibus ab Apostolis peragratis sermonem habens, *et Scythicas, et Sarmaticas gentes* commemorat: jamque Tertullianus in laudato superius loco aperte clareque *et Sarmatarum, et Scytharum* expresse mentionem fecerat. Atqui Russos antiqui modo Scythas, modo Sarmatas

(g) *Pastor* lib. III. cap. IX. num. 12.

(h) Apud Mamachium *Originum et Antiquitatum Christian.* lib. II. cap. VI. Tom. 1. pag. 339. et duab. seqq.

(i) Tom. I. pag. 575. edit. Montfauc.

(k) Ap. Euseb. *Histor. Eccles.* lib. III. cap. I.

(l) Tom. IV. pag. 610. edit. Sirmondi.

appellaverunt. Id quidem et apud Latinos scriptores, et apud Graecos videre est. Ut unum, alterumque proferamus in medium, Tacitus inter Latinos *Roxolanos* Sarmaticam gentem vocavit in libro primo Historiarum (*m*); antea vero haec dixerat Strabo inter Graecos (*n*): *Habitant ultra Borysthenem ultimi notorum Scytharum Roxolani magis versus meridiem, quam extrema ultra Britanniam cognita. Ulteriora jam frigus habitari non sinit.* Nimirum illa regio, quam olim incolebant Roxolani, intra Russiae fines sita erat; ideoque apud scriptores antiquos sub nomine Roxolanorum non alii, quam veteres Russi intelligendi sunt. Porro communia fuisse Schytharum, Sarmatarumque vocabula ab eodem Strabone (*o*), atque a Plinio (*p*) didicimus. Quamobrem rectissime haec annotavit Muratorius (*q*): *Sub Sarmatarum nomine* (addere poterat, aeque ac sub nomine Scytharum) *Russorum, sive Moscovitarum*,

(*m*) Cap. LXXIX.

(*n*) Lib. II. cap. CXIV.

(*o*) Lib. XI. cap. CCCCXCII.

(*p*) Lib. IV. cap. XII.

(*q*) Ad Liutprand. Tom. I. *Script. Rer. Italic.* pag. 24.

gentem amplissimam noverunt olim, ac memorarunt Romani (etiam hic addere poterat, et Graeci) *in Asia simul, ac Europa Boreali diffusam. Russi deinde, seu Rhossi, ac Rutheni appellati sunt, ut Photius, Porphyrogenneta, Cedrenus, Joannes Zonaras, aliique Graeci scriptores testantur.* Quare vetus Scytharum, ac Sarmatarum conversio, cujus Patres meminere, valde probabiliter Russorum quoque putanda conversio est.

CAPUT II.

Russi nono saeculo a Christi fide erant alieni. At vero ex eis aliqui ante illius saeculi finem ad Christum adjuncti sunt, hortatu quidem Basilii Macedonis, opera autem cujusdam Archiepiscopi, qui ab Ignatio Patriarcha consecratus, missusque est. Examinatur testimonium illud Photio tributum, in quo Russorum conversio ante Basilii Macedonis imperium, et Ignatii reditum in Ecclesiam suam, contigisse narratur. Nec generalis, nec fortasse sincera conversio illa fuit.

5. Sed quoniam efferata et immitis priscorum Russorum natio erat, progressu temporis omnino extincta in illis Christi fides est. Itaque nono saeculo Russi in idololatriae tenebris, et in umbra mortis sedebant universi. At quum ante ejusdem saeculi finem ipsi, instructa classe, Constantinopolim navigassent, eique grave facessissent periculum; *Paulo post*, ut Cedrenus loquitur (*a*), *Dei iram experti domum re-*

(*a*) *Historiar. compend.* pag. 557. edit. Paris. 1647.

versi sunt; Legatisque in urbem missis, divinum baptismum efflagitarunt, impetraruntque. Latius de eadem re Constantinus Porphyrogenitus in vita avi sui Basilii Macedonis Graecorum imperatoris (*b*). Primo enim haec scribit: *Genti Russorum nescienti mansuescere, ullive cedere, atque a Dei sensu ac pietate remotissimae, auri, argentique, ac sericarum vestium affluenti, largitione in foedus pertractae, initisque cum ea induciis, ac pace firmata, divini quoque Baptismatis participes fieri persuasit, ac Archiepiscopum ab Ignatio Patriarcha ordinatum ut susciperent, effecit.* Magnum postea narrat miraculum ab illo Archiepiscopo sub Russorum oculis patratum: *Is ad dictae gentis provinciam cum venisset, ex tali eventu, illustrique facinore, illius sibi animos faciles reddidit. Gentis enim Princeps, subditae plebis coacto coetu, cum Senatoribus suis ac Proceribus praesidebat; qui et falsae religioni ob longam consuetudinem proclivius reliquis adhaerebant. Deque sua, ac Christianorum fide deliberantibus, in conventum vocatur, qui ad*

(*b*) *Vit. Basil. Mac.* num.XCVI. pag. 211. et seq. inter *Hist. Byzant. Scriptor. post Theophan.* edit. Paris 1685.

eos recens Episcopus venerat; ac quaenam ipse profiteretur, eosque docturus esset, ex illo sciscitabantur. Eo sacrum divini Evangelii librum protendente, ac quaedam Salvatoris nostri miracula, Deique in veteri Testamento prodigia exponente, statim Russi subdiderunt: nisi nos etiam ejusmodi aliquid viderimus, ac potissimum quale in trium puerorum camino accidisse dicis, nullam prorsus tibi fidem habebimus, nec tuis verbis animum, auresque nostras ultra accommodabimus. Praesul vero de illius promissionis veritate fretus, qui ait, „Si quid petieritis in nomine meo, accipietis": et „Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ille faciet, et majora his faciet": tum nimirum cum non ostentationis causa, sed ad salutem animarum haec, quae fiunt, sunt futura; ait ad eos: etsi non licet Dominum Deum tentare, si tamen ex animo statuistis ad Deum accedere, quod libuerit, hoc et petite; omniaque Deus praestabit propter fidem vestram, et si nos despicabiles, et minimi sumus. Petiere ipsum fidei Christianae librum (divinum scilicet sacrumque Evangelium) in rogum injici ab eis accensum; ac, siquidem librum nihil flamma laeserit, aut exusserit, ad

Deum accessuros, qui ab illo praedicaretur. Quibus sic dictis, ac sacerdote oculos, ac manus ad Deum levante; atque dicente: clarifica nomen sanctum tuum Jesu Christe Deus noster etiamnum in oculis gentis ejus universae; sancti Evangelii liber in rogum ignis conjectus est. Nec paucis decursis horis, ac rogo exinde extincto, inventum est sacrum volumen illaesum, nec edacis flammae vi ulla violatum; nulla ejus ab igne noxa, aut diminutione, ut ne fimbriae quidem librum claudentes ullam aut corruptionem, aut labem senserint. Demum sic narrationem suam terminat: *Quo viso Barbari, ac miraculi magnitudine in stuporem acti, omni sublata haesitatione Baptismo intingi coeperunt.*

6. Perturbationis plena erat tunc temporis Constantinopolitana Ecclesia, propterea quod Bardas Michaelis Balbi imperatoris avunculus Patriarcham Ignatium ejecerat tamquam reum majestatis, atque in locum ejus Photium subrogaverat. Tamen juxta prolatum Constantini Porphyrogeniti testimonium Archiepiscopus ille, qui, imperante Basilio Macedone, in Russiam ivit, ab Ignatio, neutiquam a Photio, consecratus est. Neque mirum id videri debet. Namque statim

ac Basilius Macedo salutatus fuit imperator mense Septembri anni 867. (c), obedientem se Nicolao I. Romano Pontifici praebens Photium expulit, et Ignatium revocavit. Quamvis autem alii scriptores Graeci, Curopalates (d), Cedrenus (e), Zonaras (f), haud Ignatii nomen exprimant, quum de eodem illo Archiepiscopo verba faciunt, non tamen ideo opponuntur narrationi Constantini Porphyrogeniti. Nec vero ipsi, qui quidem omnes sunt aetate posteriores, consecratum a Photio Archiepiscopum illum affirmant.

7. At Photius idem in ea epistola, quam, ut vulgo fertur, ante suum exilium *ad Patriarchales sedes Orientis* scripserat (g), non modo apertam mentionem intulit de conversione Russorum, sed et *Episcopum ac Pastorem* eos jam recepisse addidit. Quare Antonius Pagius (h) Rus-

---

(c) Vid. Nicet. Paphlag. in *Vit. Ignat.* in Tom. X. *Collect. Concillor.* Labb. Venet. Coleti, et Litteras Basilii imperat. atque Ignat. ad Nicol. I. eod. Tom. col. 516. et seqq., ac Pagium ad ann. 867. num. XV.

(d) Pag. 44. edit. Venet. 1570.

(e) Tom. II. pag. 589., et seq.

(f) *Annal.* lib. XVI. cap. X.

(g) Ap. Baron. ad ann. 863. num. XXXIV. et seqq.

(h) Ad ann. 861. num. VII. et seqq., ac ann. 876. num. XIX.

sos a Russis distinguere nos oportere putat, docens, alios quidem sub imperio Michaelis Balbi amplexatos Christi fidem fuisse, anno scilicet 861.; Photio Ecclesiam Constantinopolitanam regente; alios deinde sacris aquis ablutos ab Archiepiscopo; quem Ignatius in sedem suam reversus misit; Breviorem viam atque rationem ad omnem tollendam difficultatem elegit Karamsinus scriptor apprime eruditus, qui nuper Historiam Russam edidit, dicavitque Alexandro I. imperatori Russorum: hoc enim animadverti solummodo voluit (i), *rem esse prorsus possibilem, Photium non secus, ac Ignatium eodem anno* 866. (forsitan scripserat 867.) *misisse Kioviam Doctores evangelicos.* Quoniam vero Assemanus (k) accusaverat Phothium de fraude, idque probare conatus erat, eum non ante, sed post exilium suam illam scripsisse epistolam, atque res gestas apud Russos post reditum Ignatii veluti res antea gestas obtrudisse, Assemano irascitur Karamsinus (l). Respondet autem, *Photium omnium suae aetatis doctissimum fuisse*;

(i) Volum. I. cap. IV.

(k) *Kalend. Eccl. Univ.* Tom. II. pag. 238. et seqq.

(l) Eod. Volum. not. 189.

atque ad id demonstrandum celebrem illius Bibliothecam laudat.

8. Multis argumentis haud spernendis sane suam tutatus fuerat accusationem Assemanus, quibus maxime decebat satisfacere. Sed consulat, qui velit, Assemanum. Nobis Constantinum Porphyrogenitum cum Photio, et utriusque dicta inter se conferre sufficit. Nulla enimvero inter se magis contraria afferri testimonia possunt. Post expulsionem ejusdem Photii, nimirum Basilio imperante, ac per *Archiepiscopum ab Ignatio Patriarcha ordinatum* Russi, viso primum miraculo, *baptismo intingi coeperunt*, teste Constantino Porphyrogenito. Contra, Photio ipso teste, haud pauci Russi quidem, sed tota propemodum Russorum natio Christi fidem antea susceperant. En Photii textus: *Gens illa, quae crudelitate ac caedibus omnes superat, qui Rutheni dicuntur, quique infinitos populos sibi subjecerunt, et propterea multum elati adversus Romanum imperium manus injecerunt, nihilominus etiam isti puram et immaculatam Christianorum religionem, deposita sua illa ethnica et impia superstitione, quam antea sequebantur, nostram fidem susceperunt: subditorum loco, et clientum humane*

nobiscum se habentes pro illa sua priori adversus nos depraedatione; et pro magna illa sua audacia ita eos fidei desiderium et zelus accendit, ut iterum Paulus clamare videatur: „ Benedictus Deus in saecula „. Episcopum enim et Pastorem receperunt; et Christianorum sacra magno studio, et diligentia venerantur. Russi ergo, si audiamus Photium, antequam ipse expulsus esset, conversi jam ad Christum erant; si Constantinum Porphyrogenitum, nequaquam. Utri ergo credendum erit?

9. Imperatorem Constantinum Porphyrogenitum adeo fuisse inverecundum, ut in re suo etiam tempore notissima (scribebat enim circa insequentis saeculi dimidium) impudentissime mentiretur, inverisimilis omnino res est. Nec obstat, quod proximus, minime vero coaevus scriptor fuerit. Immo parva illa distantia temporis vim potius adauget, quam minuit auctoritati ejus. Quemadmodum enim pervenire integra ad posterioris aevi scriptores veritas solita non est; ita scriptoribus coaevis multae interdum, vel potius nimium saepe, praesto sunt causae, quamobrem a veritate deflectant. *Ac fortasse*, ut Bodinus observat (m), *illud voluit Aristo-*

(m) *Method. ad facil. Hist. cognit.* cap. IV.

teles; cum diceret, Historias non minus vetustate nimia, quam novitate fabulosas, et injucundas esse. Sed qui rei, quam narrat, proximus est (quum nihil forte sit adhuc impedimento, quominus res ipsa, cujus alioquin recens memoria est, detegatur, nec non et manifestetur) proximus ille scriptor dignior certe, cui habeatur fides, alio licet aequali scriptore censetur. Porro sedatis jam in Constantinopolitana Ecclesia turbis et contentionibus, postquam Ignatius primum, deinde Photius decesserant, scripsit Constantinus Porphyrogenitus. Quae igitur ante minus erant comperta, ea, tranquillatis rebus, melius rescire ipse poterat. Praeterquamquod in imperiali throno usque ab infantia collocatus, et non litterarum solummodo, sed religionis etiam atque pietatis cultor quum esset Porphyrogenitus, homo fraudis inimicus habendus est. Neque enim suspicari licet, eum ad laudes amplificandas avi sui Basilii Macedonis suadere voluisse, Archiepiscopum, Russis destinatum, potius ab Ignatio, quam a Photio consecratum esse; quippe quia ille revocatus a Basilio, hic autem fuerat exturbatus. Fatemur et nos, Porphyrogenitum avi elogium, non meram historiam conscripsisse: at vero si

ea in re, de qua agitur, veris falsa miscere non erubuisset, Photii gloriam facile antetulisset, non versa vice gloriam Ignatii. Basilius enim, qui ab initio, ut supra diximus, morem Nicolao I. Pontifici Romano gesserat, postea, antequam moreretur Ignatius, Photium iterum advocavit Constantinopolim; ac deinde, Ignatio mortuo, illum contra plurium Romanorum Pontificum decreta ad extremum usque in Constantinopolitana sede sustinuit atque protexit. Quid plura? Nonne excusare Porphyrogenitus istam quoque Basilii inconstantiam, nulla tamen facta de Romanis Pontificibus mentione, conatur? Sed eam ut excusaret, is merita Photii nisi si exaggerare, neutiquam profecto imminuere, et multo minus praeterire, aut denegare proposuisset. At non praeteriisset ille modo, sed aliqua etiam ex parte denegasset, si gloriam, quam Photius in conversione Russorum sibi pepererat, ad Ignatium transfudisset. Quum ergo Ignatium tunc nominaverit, minime vero Photium, non huic, sed illi ascribendam sacram istam expeditionem plane certum et exploratum habuit.

10. Ad testimonium Photii nunc redeamus. Et quoniam integrum jam illud supra descri-

psimus, hic quantum ponderis habeat, seu quanta Photius auctoritate valeat, perscrutemur. Id autem ut facilius assequamur, ab aequalibus Graecis, qui accurato examine exquisitaque diligentia in ipsius Photii vitam inquisiverunt, ab istis utique Graecis, qualis ille homo fuerit, nos oportet investigare. Photii causa in Constantinopolitano Concilio Oecumenico octavo agitata fuit, in quo praeter Legatos tres Hadriani II., qui Nicolao I. successerat, alii fere omnes Graeci erant: sed et Basilius Macedo, atque ejus filii in ea Synodo adfuerunt, et cum Patribus subscripserunt. Tot autem, ac tales tantaeque Photii fraudes detectae a Concilio sunt, ut inter alia in Actione secunda hoc legatur elogium (n): *Erat potens ad superandum, et decipiendum, ut non est factus, nec fiet ullus hominum.* Absit verbo invidia: evolvantur Acta Concilii, quae etiamnum Graece, et Latine extant, et mendaciis delectare se Photium consuevisse, solis luce apparebit clarius. Jamvero qui alias fuit mendax deprehensus, jus omne profecto,

(n) *Collect. Concilior.* Labb. Tom. X. col. 508. edit. Venet. Coleti.

tut testimoniis ejus credatur, prorsus amisit. Opportune Tullius (o): *Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures deos juret, non oportet*. Quare nemo sapiens calculum suum Photio, quam Porphyrogenito malet adjicere.

11. Consilium Pagii, et Karamsinii, qui scriptoris utriusque nituntur dicta componere, licet ingeniosum, non bene tamen fundatum est. Quum enim talis Photium inter, et Porphyrogenitum oppositio reperiatur, ut alter excludat id, quod affirmat alter, unum sequi tantummodo, non ambos possumus. Neque vero idoneam Pagius auctoritatem habuit, ut a posterioribus Russis priores distingueret: immo si testimonia Photii, et Porphyrogeniti, quae et ipse allegat (p), expendisset diligentius, facili negotio ea perperam a se fuisse accepta, et in alienum sensum detorta comperisset; quum scriptores ambo illos eosdem Russos commemoraverint, qui paulo ante in Graeciam, eam depraedaturi, classe navigaverant, ac deinde, firmata pace, ad veram Christi religionem venerant. Karamsinus autem jure quidem ac me-

(o) Orat. *pro Rabir. Postum.* num. XIII.

(p) In loc. cit. supr. num. 7. hoc cap.

rito exigit, ut secum nos etiam conveniamus super doctrina et eruditione Photii: at vicissim super calliditate et sublesta fide ejus nobiscum Karamsinus etiam ipse conveniat, necesse est. Aliter nedum Latinos, sed gravissimos quoque ejusdem aetatis Graecos Photii rerum notitia instructos, ex iisque Basilium imperatorem, et filios turpi loco nequissimorum calumniatorum haberet. Atque ad allatum Photii testimonium quod spectat, si ea in illo enarrantur, quae ex testimonio Constantini Porphyrogeniti, postmodum evenisse certo scimus, nonne inviti quoque in eam ire sententiam cogimur, ut post expulsionem suam, non vero ante, scriptam a Photio suam epistolam constituamus? At enim de cogenda Synodo adversus Nicolaum I., et Latinam Ecclesiam in supradicta epistola agitur; quae quidem Synodus Constantinopoli a Photio ante exilium fuerat celebrata. Minime sane dubium est, quin illa Synodus Photii exilium praecesserit. Sed quum ex laudatis Actis octavi Concilii OEcumenici liquido constet, inter alias technas Photium falsas subscriptiones Vicariorum sedium Patriarchalium Orientis in Synodo sua supposuisse; mirum profecto videri non debet, si epistolam postea confinxerit, in

qua prius a se convocati Vicarii illi dicerentur. Certe in octavi Concilii Actis altum de illa Photii epistola silentium est.

12. Sed fortasse nos hactenus in eo, quod ad Russorum conversionem attinet, ficti criminis Photium accusavimus. Utrum enim omnia prorsus, quae ea in epistola continentur, ascribi Photio debeant, nec ne, plane affiirmare nemo poterit. Falsarius aliquis certo suas postea admovit huic epistolae manus, eamque nimium depravavit. Non mera haec nostra suspicio est. Baronius (*q*) in quodam codice Collegii Graecorum Romae extantis epistolam eam carentem fine, multis decurtatam, et sub nomine Patriarchae Sisinnii invenit. Neutiquam falsarius Sisinnius ipse censendus est, sed unus aliquis ejusdem fortasse aetatis nebulo, qui in Photii epistolam Sisinnii nomen inscripsit. Verum qui aliquod opusculum mutilat, et corrumpit, haud semper abstinet, quominus aliquantulum illud etiam adaugeat. Atque Sisinnii Patriarchae tempore nequaquam defuisset opportuna occasio addendi narratiunculam de conversione Rus-

(*q*) Vid. Baron. ad ann. 863. num. XXXIII.

sorum; quoniam aevo illo tandem, ut infra dicemus, illa natio ferme omnis reapse Christo se adjunxerit. Facile porro auctarium istud in codices, in quos deinde eadem epistola, Photii retento nomine, transcripta est, irrepere potuisset; quandoquidem simili de causa aliorum quoque scriptorum aucta interdum opera fuerunt. . . . .

13. Ceterum ii quoque, qui Photium controversi testimonii auctorem existimantes ipsum sequuntur, denique, velint nolint, saltem ex parte ab eo discedere coguntur. Nemo enim, ne Pagius quidem, vel Karamsinus, consentit Photio de conversione illa tam generali, tamque famosa, quam ipsius Photii verba portendunt. Sane tumultuaria potius, quam sincera illa conversio, ac certe nonnisi ad paucissimos Russos pertinuisse dicenda est. Namque idem Constantinus Porphyrogenitus in alio suo opere *de administrando imperio* Russos veluti idololatras exhibet: atque Nicetas Paphlago in vita Ignatii quamvis meminerit formidolosae Russorum excursionis in Graeciam, tamen de eorumdem conversione, quae postea dicitur contigisse, nullum omnino verbum fecit. Sed neque Ruthenus scriptor, qui primo loco erat comme-

morandus, Nestor Monachus conversionem illam in suis Chronicis vel leviter attigit: quinimmo licet ante dimidium saeculi decimi insequentis sub regno Igori mixtos cum aliquibus Christianis Russos ostenderit; generalis tamen conversionis gentis suae initium, ut mox videbimus, post ejusdem Igori mortem esse constituendum manifestissime declaravit. Hic autem Nestor Ruthenicae historiae parens habetur; vixit enim ab anno 1056. ad 1113. plus minus. Chronica ejus Slavo conscripta sermone Petropoli jamdiu typis edita in lucem fuerunt.

CAPUT III.

Post decimi saeculi dimidium Olga Igori Russorum principis vidua Constantinopoli se aquis lustralibus initiandam dedit. In Russiam reversa ab Ottone I. Episcopum pro Russis petiit, impetravitque. Refutantur ii, qui hoc in loco Russis Rugos substituunt. Olgae labores in irritum cesserunt: laudatur ipsa tamen, maxime ex eo, quod nepoti suo facem praetulerit. num. 14.

14. Itaque paulo post decimi tandem saeculi dimidium id evenit, quod spem magnam conversionis Russorum omnium attulit. Etenim post Igori necem uxor ejus Olga (quae ob minorem aetatem filii sui Svatoslai Russiam per aliquod tempus administravit) Constantinopolim profecta, ibidem per baptismi sacramentum, Helenae nomine assumpto, se Christianis adjunxit. Insigne hoc factum nedum Nestore, plurimis etiam aliis, certisque auctoribus testatum est. Constantinus Porphyrogenitus tenebat tunc temporis Graecorum imperium: atque is Olgam suscepit e sacro fonte. Abluit autem eam lu-

stralibus aquis Patriarcha ipso Constantinopoleos. Cui deinde quum illa, ex urbe discessura, valediceret, has, ut est apud Nestorem (a), voces fudit: *Populi mei gentiles, et filius meus etiam: custodiat me Deus ab omni malo.*

15. Ergo postquam in Russiam Olga rediit, quum nihil aliud spectaret magis, quam ut nationem totam ad Christi fidem traduceret, ad Ottonem I. tunc regem, postea imperatorem Legatos misit, qui Episcopum pro Russis peterent. Itaque: *Venerunt Legati*, ut Lambertus Schafnaburgensis saeculi scriptor undecimi narrat ad annum 960. (b), *venerunt Legati Russciae gentis ad regem Ottonem, deprecantes, ut aliquem suorum Episcoporum transmitteret, qui ostenderet eis viam veritatis. Qui consensit deprecationi eorum, mittens Adelbertum Episcopum fide Catholicum, qui etiam vix evasit manus eorum.* Eadem habent paulo fusius Annales Hildeshemenses (c).

16. Jamvero missos Legatos fuisse ab Olga, seu Helena, ex eo patet, quod ipsa tum

(a) Ad ann. 6463. aerae vulgaris 955.

(b) Inter *Scriptor. Rer. Germanic.* Pistor. Tom. I. pag. 314.

(c) *Scriptor. Rer. Brunsvic.* Leibnit. Tom. I. pag. 718.

Russiam regeret, Praeterquamquod exhibent nomen Helenae et Chronographus Saxo editus a Guilielmo Leibnitio (*d*), et Annalista item Saxo vulgatus a Joanne Georgio Eccardo (*e*), nec non et is, qui Chronica Reginonis persequutus est (*f*), omnes ad annum 959., quum legationem illam commemorant. Et iste quidem, quia in anno 967. substitit, Helenae ipsi aequalis fuisse videtur; duo autem illi Saxones juxta Eccardi, atque Leibnitii conjecturas saeculo duodecimo floruerunt. Quamvis autem in tribus hisce Chronicis Russi non proprio vocabulo, sed Rugi appellentur; designatos tamen sub nomine Rugorum Russos fuisse, satis ex Helenae nomine ostenditur. Haec enim Russis quidem, non Rugis praeerat. Et Rugi jam nono saeculo opera et labore Monachorum Corbejensium fidem Christianam amplexati fuerant: deinde vero in idololatriam relapsi, demum anno 1168., quum a Waldemaro Danorum rege victi sunt, Christo iterum cervices suas subdidere. Istam conversionis Rugorum historiam ab Helmoldo ac-

---

(*d*) *Accession. Hist. Rer. German.* pag. 169.

(*e*) *Corp. Historic. medii. aevi* Tom. I. col. 300.

(*f*) Inter *Script. Rer. Germanic.* Pistor. Tom. I. pag. 108.

cepimus (*g*); qui legationem illorum ad Ottonem I. non silet modo, sed prope etiam excludit, eos necdum a Danis devictos ita describens (*h*): *Populi hujus incredibilis duritia: ... nec est aliqua barbaries sub coelo, quae Christicolas, ac Sacerdotes magis exhorreat.* Hi ergo ad petendum Episcopum Legatos miserunt?

17. Sed omnem dubitationem eximit Ditmarus, qui paulo post mortem Olgae natus est, et anno 1018. factus Episcopus Mersepurgensis. Hic enim (*i*) de Ottone I. loquens, haec scribit: *Adalbertum Treverensem, professione Monachum, sed Russiae prius ordinatum praesulem, et hinc a gentilibus expulsum, ad Archiepiscopatus* (Magdeburgensis) *apicem, inclitum patrem, et per omnia probatum, anno Dominicae incarnationis DCCCCLXXXV. Kal. Novemb. Apostolica auctoritate promovit.* Scilicet Adalbertus postea Archiepiscopus Magdeburgensis, Russorum Episcopus antea fuerat ordinatus,

(*g*) *Chron. Slavor.* Lib. I. cap. VI., et Lib. II. cap. XII. et seq.

(*h*) Cit. Lib. I. cap. VI.

(*i*) *Chronic.* Lib. II. inter *Scriptor. Rerum Brunsvic.* Leibnit. Tom. I. pag. 335.

et in Russiam missus; indeque vero non ab Helena, seu Olga foemina piissima, sed a Russis expulsus. Quo praeclaro et locuplete Ditmari testimonio, ceteris juncto, quae vel eosdem Russos, vel Helenam nominant, Assemani (*k*), et Karamsini (*l*) opinio exploditur, qui Adalbertum Rugis, non Russis destinatum putant. Neque enim ea probanda ratio est, qua uterque in corrigendo vel Ditmari, vel aliorum auctorum textu ad libita sua usi sunt, manu scriptis, editisque libris non suffragantibus.

18. *At vero*, urget Assemanus (*m*), *Helena Russorum regina Constantinopoli baptizata, Graecum ritum amplexa est . . . Itaque quidquid sit de legatis ab Helena ad Ottonem missis, qui fortasse de pace, ac foedere cum Germanis ineundo agebant, ii certe Episcopum Latinum non petiissent.* Addit Karamsinus: *Estne probabile, Olgam, quae Graecam religionem amplexata erat, ecclesiasticos Pastores habere a Latina Ecclesia jam ab altera disjun-*

(*k*) *Kalend. Eccl. Univ.* Tom. I. pag. 255. et seqq., ac Tom. IV. pag. 20. et seq.

(*l*) Volum. I. not. 202.

(*m*) Cit. Tom. I. pag. 263.

vita voluisse? Schisma, quod Ecclesiam in Orientis, et Occidentis Ecclesiam divisit, accidit anno 880. Causam, cur missi Legati fuerint, non fingere nos, sed potius discere ab iis oportet, qui de legatione illa meminerunt. Hi autem non ad foedus cum Ottone faciendum, sed ad petendum Episcopum missos Legatos affirmant.

19. Quod vero ad schisma pertinet, recrudiit illud profecto circa annum 880., postquam, Ignatio mortuo, Photius in sedem Constantinopolitanam a Basilio Macedone fuerat restitutus. At, mortuo post initium anni 886. Basilio, Leo Sapiens ejus filius, atque successor Photium denuo in exilium ejecit; simulque Stephanum fratrem suum eligendum curavit in Patriarcham, Romani tamen Pontificis auctoritate confirmandum. Constant, haec partim ex litteris Styliani, aliorumque Graecorum Episcoporum ad Stephanum Papam V., et responsionibus ejusdem Stephani, ac Formosi, aliisque monumentis, quae in novis Conciliorum collectionibus post Acta Concilii octavi referri solent (*n*), partim ex testimoniis Scriptorum Hi-

(*n*) Vid. Tom. X. *Concil.* Labb. col. 902. et seqq. edit. Venet. Coleti.

storiae Byzantinae, et ex Menologiis, atque Menaeis apud Henschenium (o). Hoc modo schisma si minus extinctum, at certe sopitum est. Quum autem anno 893. Stephanus Patriarcha supremum diem explevisset *(p)*, in ejus locum Antonius cognomento Caulea subrogatus est. Hujus pastorali sollicitudine *magnus Imperator* (Leo Sapiens) *gaudens delectabatur*, ut scripsit in ejusdem Antonii elogio Nicephorus Philosophus; qui et haec statim adjunxit: *Incorrupti vero animi videns in suffragio judicium, quod in rebus ipsis falli non posset, cum per ipsum statuisset vetus Ecclesiae ulcus, seu schisma, ad cicatricem deducere, in unum cogit Orientalia, et Occidentalia.* Composuit elogium istud Nicephorus haud multo post Antonii mortem, ut clare innuit in exordio (q). Fide sua igitur plane jubet, ut nihil dubitemus sub Patriarcha Antonio extinctum penitus Photii schisma fuisse. Quamobrem in serie Patriarcharum Constantinopoleos in Corpus juris Orientis in-

(o) *Act. Sanctor.* Bolland. Tom. IV. Maii ad diem XVII.

(p) Vid. Pagium ad ann. 888. num. XIII.

(q) Edidit hoc elogium post Lipomanum, et Surium Joannes Bollandus Tom. II. Februar. ad diem XII.

serta legitur *(r)*: *Claruit iste* (Antonius) *egregia sanctitate; proque pace et unitate Ecclesiae laboravit, quam et feliciter est consequutus, ut testatur Nicephorus philosophus ea oratione, quam in ejus funere habuit;*

40. Ex illis Nicephori verbis: *in unum cogit Orientalia, et Occidentalia*: Synodum Constantinopoli tunc habitam esse Pagius (*s*) infert. Ac bene Episcopos, qui ab Oriente, et Occidente in eam Synodum convenerunt, illos fuisse Episcopos intelligit, qui intra Graecorum imperii fines dioeceses suas habebant (*t*). Sed est, cur credatur adfuisse Legatos quoque Romani Pontificis Formosi, qui in litteris supra laudatis Legatos suos in Graeciam schismatis abolendi caussa se misisse testatur. Porro Antonius Caulea eo tempore renuntiatus Patriarcha est, et mortuus, quo Romanum Formosus Pontificatum gerebat. Atqui cessatum a schismate sub Formosi Pontificatu ex eo etiam manifeste probatur, quod, illo vivo, *Breviarium Synodi octa-*

(*r*) Apud Baron. ad ann. 890. num. XIII.

(*s*) Ad ann. 893. num. XIII.

(*t*) Vid. *Supplem.* Mansi ad *Collect. Concilior.* Labb. Tom. I. col. 1079.

vae ad ingressum magnae Ecclesiae (Constantinopolitanae) *seu in porticu perscriptum* est (*u*): in quo haec inter alia Graeci profitebantur: *Omnia acta Photii contra sanctissimum Patriarcham Ignatium, et beatum Papam Nicolaum anathemate damnamus. Sanctam, et Oecumenicam Synodum octavam recipimus, admittimusque, quos illa admittit, et damnamus, quos illa damnat. Et si quando receperimus eos, quos Synodus ejecit, a Christo anathema simus . . . . Photius quadraginta quinque annis ad hodiernum usque diem, a Papa nempe Leone* (scilicet Leone IV.) *usque ad Formosum, excommunicatus fuit.* Hinc Patriarchae Antonii memoria non a Graecis solum, sed etiam a Latinis recolitur, uti in Romano Martyrologio videre est ad diem duodecimum mensis Februarii: quem ad diem occurrit etiam Antonii nomen in effigiatis Ephemeridibus Moscorum, sive Russorum, apud Danielem Papebrochium (*x*). Jamvero sexaginta circiter post istam reconciliationem annis Olga Constanti-

(*u*) Vid. Tom. X. *Concil.* Labb. col. 926. et seqq. cit. edit.

(*x*) *Act. Sanctor.* Bolland. Tom. I. Maii in princ.

nopoli Sacramentum baptismi susceperat: quid est igitur, quod miremur, si postea in Russiam regressa Pastorem Latinum habere voluerit? Sed de concordia, qua et hoc ipso, et insequenti tempore Graeci Latinis conjuncti erant, fusior deinde sermo instituetur.

21. Nunc superest observandum, quod aliter, atque Olga exoptaverat, in Russia tunc res evenit. Namque Adalbertus, ut jam dictum est, vix manus Russorum evasit: Svatoslaus autem ejus filius haud imitari matrem voluit. Nihilominus propter ingens illud dilatandae fidei studium digna Olga est, quae eximiis laudum praedicationibus extollatur. Suo praeterea nepoti Volodimiro, a quo denique importata Christi fides in Russiam est, praeluxit illustri exemplo. Quamobrem haec de Olga scripsit Nestor Monachus (y): *Et fuit praecursor terrae Christianae velut stella matutina ante solem, velut aurora ante lucem. Nam ut luna in nocte, ita et haec inter infideles homines splenduit sicut margarita in luto: erant quippe lutei* (Russi) *propter peccatum, neutiquam*

(y) Pag. 59.

sacro baptismate lavati: haec vero abluit se lavacro sancto, et exuens contaminatam vestem veteris hominis Adae; novum Adam induit, qui est Christus . . . . . Haec prima Russorum ingressa est in regnum coelorum.

CAPUT IV.

Volodimirus Olgae nepos, et magnus Russiae princeps in urbe Corsun apud Graecos sacro baptismate expiatus matrimonio sibi Annam Basilii imperatoris sororem accepit. Ecclesiasticis viris secum e Graecia adductis, circa decimi saeculi finem Russiam totam ferme ad Christum convertit. Quid Volodimirus tum gesserit pro fidei dilatatione. De Michaele primo Metropolita Kiovlensi, deque aliis Metropolitis, et Episcopis Russiae.

22. Volodimirus itaque unus e filiis Svatoslai in gravi, maximeque necessario Religionis negotio non patrem, sed aviam sibi proposuit in exemplum. Ac prospere quidem feliciterque res ei successit. Namque tandem aliquando ab idololatria non modo se, sed et Rus-

siam ferme totam ad Christum ante saeculi decimi finem convertit. Haec autem vere generalis conversio fuit: tunc enim longe lateque Christi Evangelium per universam Russiam luxit atque resplenduit.

23. Breviter hujus conversionis initia descripsit ex annalibus Russorum Sigismundus Herbersteinius (a): *Vuolodimerus cum sine impedimento totius Russiae esset monarcha factus, venerant ad eum ex diversis locis Oratores hortantes, ut se eorum sectae adjungeret. Varias autem cum videret sectas, misit et ipse Oratores suos, qui perquirerent conditiones et ritus singularum sectarum: tandem cum aliis omnibus fidem Christianam Graeco ritu praetulisset, elegissetque, missis Oratoribus Constantinopolim ad Basilium, et Constantinum reges, Annam sororem uxorem sibi si darent, se fidem Christi cum omnibus subditis suis susceпturum, et restituturum illis Corsun, et alia omnia, quae in Graecia possideret, pollicetur. Re impetrata, constituitur tempus, eligitur locus Corsun: quo cum venissent reges, baptisatus est Vuolodimerus, commutatoque nomine*

(a) *Rer. Moscovitic. Comment.* pag. 7. edit. Basileae 1571.

Wlodimeri, Basilio ille nomen imponitur. *Nuptiis celebratis, Corsun una cum aliis, sicuti promiserat, restituit. Haec acta sunt anno mundi* 6469. (seu juxta alium ejusdem auctoris locum 6496., hoc est aerae vulgaris 988.), *a quo tempore Russia in fide Christi permansit.* Ita Herbersteinius, qui fuit Archiducis Austriae Ferdinandi apud principem Russorum (Legatus; mortuus autem anno 1559. Eadem pene scripserat Dlugossus., seu Longinus Episcopus Leopoliensis, in *Historia Polonica* (b), quam post saeculi decimi quinti dimidium elucubravit: jamque vetus auctor Ruthenus Nestor Monachus omnia haec in suis Chronicis prolixe, distincteque narraverat.

24. Silent de Oratoribus Scriptores Graeci fere omnes, licet in suae gentis gratiam de illis facere mentionem debuissent. Silet Elmacinus AEgyptius in sua *Historia Saracenica*, qui (c) inter annos Hegirae 377. et 379. (aerae vulgaris 987. et 989.) de Russorum conversione, haec tantum satis habuit referre: *Duxit rex Russorum sororem Basilii impera-*

(b) Lib. II. ad ann. 987. et 990.

(c) Lib. III. cap. VI. pag. 251. edit. Lugd. Batav. 1625.

toris Romanorum, postquam hic ab eo obtinuit, ut religionem Christianam amplecteretur. Misitque ad eum Basilius Episcopos, qui religione Christiana imbuerent tum ipsum, tum omnem populum ejus. Atque ante illud tempus nulla eis fuerat religio, neo professi erant quidquam. Sunt autem populus magnus, et ab eo tempore ad hoc usque omnes sunt Christiani. Obiit Elmacinus anno 1238. Verum quidquid de Oratoribus sit, ex laudatis monumentis aperte liquidoque constat, prope finem saeculi decimi statuendam esse generalem conversionem Russorum. Ac parum certe in Chronologia versatos sese neoterici quidam Scriptores ostendunt, quum a Photio missum affirmant, qui Volodimirum sacro baptismo inaugurarat. Photius enim Volodimirum centum ferme annis praecesserat.

25. Sed jam quae, quantaque Volodimirus idem egerit pro Christiana fide propaganda in universam Russiam, nunc videamus. Persequutus ista quoque Nestor Monachus est: sed nos, ut multa paucis complectamur, potius Dlugossi (*d*) verba adhibebimus: *Sacrilegos ritus, quibus priscis temporibus Ruthenorum gens de-*

(*d*) *Hist. Polon.* Lib. II. ad ann. 992.

dita erat; Wladimirus Russiae dux eliminaturus, tertio, ex quo Christi fide illuminatus erat, anno (juxta Nestorem, statim ut reversus fuerat Kinviam) *idola, lucos, arasque, et templa eorum confringit, incendit, et comminuit . . . . . . Promulgavit insuper . . . . . edictum, ut omnes nationes, et populi sibi subjecti, relictis idolis, Christi fide, et baptismatis charactere se insignirent, habiturus eos pro hostibus, bonaque eorum confiscaturus, qui detrectarent sanctis suis parere jussionibus*. Nestor speciatim de confiscatione non meminit. Pergit Dlugossus; *Qua necessitate populus Ruthenorum constrictus* (immo laetabundus, si Nestori credamus) *ad Kiow catervatim confluxit, et fidem Christi confessus in flumine Dniepr ab Episcopo Corsinensi, et Presbyteris ex Graecia adductis baptizatur, et in fide, ac ceremoniis ejus eruditur*. Plures Presbyteros e Graecia cum Volodimiro venisse Nestor Monachus etiam retulit; Corsinensem tamen Episcopum simul venisse non dixit; numquid propterea id inficiatus est? Sed haec quoque Dlugossus narrat: *Corsinensis Episcopus ministros, et Sacerdotes instituit, pro quorum sustentatione Wladimirus dux praedia,*

et censum largitus est ; . . . et plures Ecclesias ex muro, et latere aedificat. Habetur et apud Nestorem mentio de Ecclesiis: de sola autem Kiovia loquens Ditmarus (*e*): *In magna*, inquit, *hac civitate, quae istius regni caput est, plusquam quadringentae habentur Ecclesiae*. Scripsit haec Ditmarus paucissimis post Volodimiri mortem annis; ac licet, ut aliqui suspicantur, numerum exaggeraverit; nihilominus exaggeratio ipsa haud exiguum fuisse numerum Ecclesiarum ostenderet. Sed Volodimiri studium atque ardorem in promovenda fide extollunt, et confirmant omnes pene Scriptores Russi, Lituani, Poloni, Germani, ceteri, qui conversionem illius memoriae prodiderunt.

26. Episcopum Corsinensem in Russiam adductum Dlugossus tradidit. At quum propriam ille haberet dioecesim, alibi fortasse diu multumque manere noluerit. Primus certe Metropolita Kioviensis alius a Corsinensi Episcopo esse videtur. Vetus enim, et constans Russorum traditio est, primum Kioviae Metropolitam fuisse Michaelem quemdam a Graecis, regnante

(*e*) *Chron.* Lib. VIII. prope fin. inter *Script. Rer. Brunsvic.* Leibnit. Tom. I. pag. 427.

Volodimiro, missum. Saltem ita legimus non in catalogis vulgatis solum (*f*), sed etiam in ea Constitutione, quam *de potestate Metropolitae*, *de decimis*, *et de aliis* edidisse Volodimirus ipse fertur. *Ecce ego* (sic enim loquitur) *princeps Uladimirus, dictus in sancto baptismo Basilius, filius Svatoslai, nepos Igori, et beatae Olgae, suscepta sancta fide Christi, obtinui ex urbe Constantinopoli primum Metropolitam Kioviensem Michaelem, qui baptizavit totam Russiam.* Levesquius (*g*), et Karamsinius (*h*) suppositiam hanc Constitutionem judicant, ea praesertim ratione ducti, quod inibi primus ille Metropolita datus a Photio dicatur. Nos autem insertum postea Photii nomen, et alia quaedam partim inserta, partim immutata credimus; et ratio, cur sic opinemur, est, desiderari illud nomen, et quaedam alia aut deesse, aut aliter esse apud Ignatium Kulczynskium, qui Constitutionem eam ex vetusto codice, cui praefixus titulus erat *Rituale Ruthenicum* expressisse se

(*f*) Vid. *Act. Sanctor.* Bolland. Tom. I. Maii in princ., et Lequien. *Oriens Christ.* Tom. I. col. 1261.

(*g*) *Histoire de Russie* ann. 1015.

(*h*) Volum. I. cap. X. post initium.

profitetur. Attulit illam Constitutionem Kulczynskius in appendice ad suum *Specimen Ecclesiae Ruthenicae* Romae typis excusum anno 1733. Sed ipsi quoque Levesquius, et Karamsinus illam ceteroquin priscum esse monumentum agnoscunt. Porro et Presbyteros tum e Graecia venisse, nemini dubium esse potest; quandoquidem praeter Dlugossum alii etiam auctores, Monachus Nestor in primis, apertissime de Presbyteris meminerunt.

27. Michael, primus ille Kioviensis Metropolita, si verum narrat Kulczynskius (*i*), inter alia etiam *Episcopos per novas dioeceses ordinavit*. Revera sub Jaroslao Volodimiri filio, ac deinceps simul Metropolitas, simul Episcopos Nestor commemorat. Huic autem major habenda fides est, quam Nicetae Choniati (*k*), qui ad sua usque tempora, ad initium scilicet saeculi decimi tertii, uni tantum Episcopo universam Russiam paruisse affirmavit. Cujus testimonio in errorem etiam Lequienius (*l*) inductus est: qui tamen advertere vel ex maxima Russiae amplitudine

---

(*i*) Part. III. pag. 110.

(*k*) Lib. V. *Thesauri Fidei* cap. V.

(*l*) *Oriens Christ.* Tom. I. col. 1260.

debebat, rem incredibilem narrasse Nicetam, si verba ipsius (quae latine solum exposita, non Graeca, a Petro Morello accepimus) intelligerentur sic, ut tribus fere saeculis administratam Russiam ab uno Metropolita sine aliis Episcopis significarent.

CAPUT V.

Praeter Graecos Russi sub initio conversionis suae Latinos etiam magistros et institutores habuerunt. Refertur, et illustratur Ditmari testimonium de laboribus Reinberni Episcopi Colbergensis. Duo insuper testimonia, alterum ejusdem Ditmari de Brunone, et sociis ejus octodecim, alterum Petri Damiani de Bonifacio. Unum eumdemque hominem fuisse Brunonem, et Bonifacium ostenditur. Difficilis Damiani locus, adducto praesertim loco Ademari Cabanensis, perbelle explicatur. Mirum in modum a Latinis promota Russorum conversio est. De Graecorum ritibus, quos a principio sibi Russi adoptaverunt.

28. Sed ad Volodimiri tempora redeamus. Amplissima quum esset Russorum natio, et om-

nis idololatriae vinculis constricta, dissolvi penitùs, et omnino tota Christo adjungi repente haud facile poterat. Hoc ipsi quoque Russi fatentur; quos inter recentissimus Karamsinus antiquis chronicis, monumentisque gentis suae fretus scribit (*a*): *Major numerus habitatorum Kiovienses imitatus est, ac baptismum recepit: alii veteri cultui adhaerentes novum amplecti obstinate recusarunt; et reapse ethnica superstitio ad duodecimum usque saeculum perseveravit in aliquibus Russiae regionibus*. Itaque salutare opus, quod ab initio Graeci Episcopi, et Presbyteri impigre fuerant persequuti, Latini postea labore, ac vitae dispendio institerunt, et quasi quodammodo consummarunt. Rem inauditam nos denuntiare, quidam fortasse clamabunt. Attamen non primi nos, sed vere primus, qui hoc asseruerit paradoxum, coaevus scriptor Ditmarus est. Haec enim ipsius verba sunt (*b*). *Amplius progrediar disputando, regisque Russorum Vludomiri actionem iniquam prostringendo. Hic*

(*a*) Volum. I. cap. IX. ante dimidium.

(*b*) *Chron.* Lib. VII. ante fin. inter *Scriptor. Rer. Brunsvic.* Leibnit. Tom. I. pag. 417. et seq.

a Graecia ducens uxorem Helenam nomine tertio Ottoni desponsatam, sed ei fraudulentà calliditate subtractam, Christianitatis sanctae fidem ejus hortatum (melius *hortatu*) *suscepit, quam justis operibus non ornavit. Erat enim fornicator immensus, et crudelis, magnamque vim Danais mollibus ingessit. Hic tres habens filios, uni eorum Bolizlavi Ducis* (Poloniae), *nostrique persecutoris filiam in matrimonium duxit* (legendum *dedit*), *cum qua missus a Polonis Reinbernus, praesul salsae Cholbergiensis*. Hic locus corrigendus ex alio ejusdem Ditmari loco (c), ubi invenimus *Reinbernum sanctae Cholbergiensis Ecclesiae Episcopum*. Paucis interjectis, prosequitur: *Quantum autem in cura sibi commissa laboraverit idem* (Reinbernus) *non meae sufficit scientiae, nec etiam facundiae. Fana idolorum destruens incendit, et mare daemonibus cultum* (idest *sacratum*), *immissis quatuor lapidibus, sacro chrismate perunctis, et aqua purgans benedicta, novam Domino omnipotenti propaginem in infructuosa arbore, idest, in populo nimis insulso, sanctae praedicationis plantationem eduxit. . . . Quem*

(c) Lib. IV. pag. 357.

praedictus Rex audiens, filium suimet hortatu Bolizlavi tacito reluctaturum sibi, cepit cum eodem, et uxore, et in singulari custodia claudit. In qua Pater venerabilis, quod in aperto fieri non potuit, in decreto (corrigendum *secreto*) *studiose in divina laude peregit. Hic cum se lacrymis, assiduaeque orationis ex corde contrito prolatae hostia summo sacerdoti reconciliaret, ex arto corporis carcere solutus, ad libertatem perennis gloriae gaudens transiit.*

29. Minus aequum se Ditmarus praebet, quum antiqua Volodimiro crimina exprobrat, et Boleslaum appellat suae gentis persecutorem. *Verum*, ut recte Pagius animadvertit (*d*), *ob perpetua bella Germanos inter, et Russos, ac Polonos exorta, confectaque, horum populi mutuo saepius abalienati fuere. Quare non mirum, si Ditmarus Mersepurgensis in Germania Episcopus Volodimirum, et Boleslaum in invidiam vocet; quum id nostris temporibus ab historicis non raro fieri constet.* Ob eamdem caussam licet opinari, Ditmarum scripsisse, Graecam Volodimiri uxorem fuisse Ottoni III. *fraudulenta*

(*d*) Ad ann. 1008. num. IV.

calliditate subtractam. Quod si cum Frehero, quem allegat, et sequitur Karamsinus (*e*), contendere quis velit, desponsatam primum Ottoni illam non fuisse: nemo tamen poterit inficiari, bis Constantinopolim ad uxorem eidem imperatori petendam Legatos missos, anno scilicet 995., et iterum paulo ante annum 1002., sub cujus initium Otto decessit. Loquuntur de prima legatione Annales Hildeshemenses (*f*), et Annalista Saxo (*g*), ac duos Episcopos Joannem Placentinum, et Bernvvardum Wirciburgensem legatos perhibent. Memorant legationem alteram Arnulphus, et senior Landulphus (*h*), ambo scriptores Mediolanenses, atque ea functum dicunt Mediolanensem Archiepiscopum Arnulphum II. Profecto Volodimirus, ut dictum est supra (*i*), anno 988. jam uxorem sibi Annam Graecam adjunxerat. Sed Ditmarus legationi-

---

(*e*) Volum. I. not. 215.

(*f*) Inter *Scriptor. Rer. Brunsvic.* Leibnit. Tom. I. pag. 720.

(*g*) In *Corp. Historic. medii aevi* Eccardi Tom. I. col. 362.

(*h*) Arnul. Lib. I. cap. XIII. Landul. Lib. II. cap. XVIII. inter *Scriptor. Rer. Italic.* Muratorii Tom. IV.

(*i*) Cap. IV. num. 23.

bus ante dictis probe conscius (*k*), simulque nimium forsitan rumoribus vulgi tribuens, quum post ejusdem Ottonis, et Volodimiri mortem scriberet, superioribus posteriora conjunxit; ideoque et Annam Volodimiri uxorem Helenae nomine [quod, ut etiam supra (*l*) diximus, Olgae ipsius Volodimiri aviae impositum in baptismo fuerat] vocavit, et Ottoni eam prius desponsatam fuisse sibi persuasit. Quod vero ad numerum filiorum Volodimiri pertinet, trium solummodo Ditmarus meminit: sed magna est hac de re ceterorum Scriptorum varietas; alii enim quinque, alii novem, alii duodecim filios enumerant (*m*).

30. Verum enimvero mediis in ambiguitatibus, et indiligentiis Ditmarus nihil falsi in allato testimonio protulisse circa factorum substantiam videtur. Certe quae insectatus est Volodimiri vitia, haud ea ille confinxit. Namque ante susceptum baptismum Volodimirus *fornicator immensus* sane quidem fuerat; octin-

(*k*) Vid. Ditm. *Chron.* Lib. IV. inter *Scriptor. Rer. Brunsvic.* Leibnit. Tom. I. pag. 354.

(*l*) Cap. III. num. 14.

(*m*) Vid. Asseman. *Kalend. Eccl. Univ.* Tom. IV. pag. 62. et seqq.

gentas quippe concubinas praeter uxores habuit: *crudelis* insuper fuerat, quum praeter Rogvolodum Polociae principem, duosque filios ipsius, proprium etiam fratrem Jaropolkum interficiendos curavit (*n*). Sed quoniam post baptismum bonis operibus intentus fuit, non tacuit omnino haec Ditmarus. Etenim praeterea scripsit (*o*): *Et quia de lucerna ardente a praedicatoribus suis rex praefatus audivit, peccati maculam peracti assidua eleemosynarum largitate detersit. Scriptum est enim: Facite eleemosynam, ac omnia sunt vobis munda.* Rursus absque controversia *magnam vim Danais* intulerat Volodimirus, utpote qui Corsun vi oppugnando ceperat: deinde vero, ut ipse quoque narravit Ditmarus, *a Graecia ducens uxorem Christianitatis sanctae fidem suscepit*. Quum autem perspecta haec omnia sint, et indubitata; quis ea porro, quae in eodem loco de Colbergensi Episcopo Reinberno Ditmarus tradidit, vel pro figmento habere, vel revocare in suspicionem audebit? Atqui Ruthenus etiam saepe a nobis laudatus scriptor Karamsinus magni

(*n*) Vid. Karams. Volum. I. cap. VIII.

(*o*) *Chron.* Lib. VII. prope fin. pag. 418. Tom. cit.

quidem ponderis esse hocce Ditmari testimonium declaravit. Namque idem ipsum, non integrum tamen, allegavit, quum (*p*) coepit de Svatopolki defectione sermonem facere. Hunc autem fuisse unum illum e filiis Volodimiri, qui, Ditmaro teste, filiam Boleslai Poloniae principis uxorem duxit, rectissime interpretatus est. Sed hoc etiam antea Karamsinus (*q*) annotavit, Ditmarum nempe plures apud ducem Poloniae habuisse amicos, qui ea, quae in Polonia evenerant, propriis oculis conspexerunt. Accedit, quod in Saxonia, in ea scilicet Germaniae parte Ditmarus degeret, ac scriberet, quae Poloniae proxima est. Quum vero proxima etiam Russiae Polonia sit, haud dubitandum, Polonos scivisse, quinam suae nationis homines illustriores in Russiam proficiscerentur, et quidnam inibi praeclarae rei postea gererent.

31. Jamvero cum Boleslai filia missum a Polonis in Russiam Reinbernum Episcopum Ditmarus refert; significans praeterea, ideo comitem istum additum, ut studio et opere ejus ibidem Christiana fides magis magisque propagaretur,

(*p*) Volum. II. cap. I.
(*q*) Volum. I. not. I.

nutriretur, roboraretur. *Quantùm autem,* Ditmarus inquit, missionis causam, simul et exitum patefaciens, *quantum autem in cura sibi commissa laboraverit idem, non meae sufficit scientiae, nec etiam facundiae. Fana idolorum destruens incendit, et,* ne cetera, quae jam superius descripta sunt, repetamus, *in populo nimis insulso sanctae praedicationis plantationem eduxit.*

32. Sed Graecis adjutor in Russiam haud solus e Latinis venisse Reinbernus existimandus est. Sane Ditmarus de alio quoque Episcopo Latino antea meminerat, quem et ipsum in convertendis Russis operam posuisse insinuavit. Haec enim scripserat (r). *Fuit quidam Brun* (idest *Bruno) nomine contemporalis, et conscholasticus meus, ex genere clarissimo editus . . . . . Is, ... regnante tunc secundo, Domini gratia, Henrico, ad Merseburg veniens benedictionem cum licentia domini Papae Episcopalem ab eo petiit, et ejus jussione ab Archiepiscopo Tagmone consecrationem, et quod ipse detulit huc pallium ibidem suscepit. Dehinc . . . . ad Prussiam pergens*

(r) *Chron.* Lib. VI. prope fin. inter *Scriptor. Rer. Brunsvic.* Leibnit. Tom. I. pag. 398.

steriles hos agros semine divino studuit foecundare: sed spinis pullulantibus, horrida non potuit facile mollire. Tunc in confinio praedictae regionis, et Russiae cum praedicaret, primo ab incolis prohibetur, et plus evangelizans capitur, deindeque amore Christi, qui Ecclesiae caput est, XVI. Cal. Mart. mitis ut agnus decollatur cum suis XIIX. Corpora tot martyrum insepulta jacuerunt, quoad Bolizlaus id comperiens, eadem mercatur, ac domui suae futurum acquisivit solatium. Haec Ditmarus.

33. Sed et Petrus Damianus ejusdem ferme aetatis scriptor de quodam Episcopo et ipso Latino loquutus est (s), quem eodem tempore in Russiam ivisse, ac postea martyrio fuisse affectum tradidit. Bonifacium eum vocat Damianus; atque Ottonis III. consanguineum, ac sancti Romualdi fuisse discipulum asserit. Itaque postquam priora ejus gesta narraverat, haec de Apostolatu subjecit. *Cum vero post diuturnam eremiticae conversationis vitam ad praedicandum jam ire disponeret, Romam pergere studuit, et ab Apostolica Sede consecrationem Archiepiscopatus accepit. Retulit mihi quidam se-*

(s) *Vit. S. Romualdi* cap. XXVI. et seq.

nex monachus, qui eum illuc comitatus de Ravennae finibus fuerat, quia in toto illo itinere Vir venerabilis cum omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse jugiter psallens, et caeteros longe, nudis semper pedibus incedebat . . . . Postquam autem consecratus est, quotidie observabat et monasticum pariter, et canonicum in celebrandis Horarum officiis ordinem. Cum vero jam ultra montanos peteret fines, equo quidem vehebatur, sed venerabilis Pontifex, sicuti dicitur, nudis cruribus semper, et plantis adeo intolerabilem frigidissimae regionis tolerabat algorem, ut volens descendere, vix pedem ab subhaerente ferro disjungeret, nisi aqua prius calida subveniret. Ad Gentiles autem postremo perveniens cum tanta coepit fervidi pectoris constantia praedicare, ut jam nullus ambigeret, quia Vir sanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne sicut post martyrium B. Adelberti, coruscantibus miraculorum signis, Sclavonicae gentis plerique conversi sunt, ipsis quoque similiter eveniret, longo tempore a beato Viro manus artificiosa malitia reprimunt.
Hic Adalbertus non ille est, quem in Russiam profectum esse, ac deinde ad Archiepiscopa-

tum Magdeburgensem promotum diximus (*t*), sed alius Adalbertus Episcopus Pragae in Bohemia, qui missus in Prussiam illico a Prussis occisus fuerat. De eo Helmoldus (*u*), aliique, praesertim Germani, scriptores verba faciunt: passus autem est anno 997., vel, si bene supputat Mansius (*x*), anno superiore. Sed et ultra Prussiam processit Bonifacius. Pergit enim Damianus: *Cumque ad Regem Russorum Vir venerabilis pervenisset, et constanti animo praedicationi vehementer insisteret; videns eum Rex squalidis vestimentis indutum, nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia Vir sanctus talia non religionis causa proferret, sed icciroo potius, ut pecunias congregaret. Promisit ergo sibi, quia si ab hujusmodi vanitate recederet, ipse paupertatem ejus largissima divitiarum liberalitate ditaret. Bonifacius itaque mox ad hospitium sine mora revertitur, pretiosissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, et sic ad Regis palatium denuo praesentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam non paupertatis*

(*t*) Supr. cap. III. num. 15. et 17.

(*u*) *Chron. Slavor.* Lib. I. cap. I.

(*x*) In animadvers. ad Critic. Pagii ann. 997.

inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi, quae asseris, erigantur duae excelsae lignorum catastae, brevissimo a se interstitio separatae, et igne supposito, cum vaporatae fuerint, ita ut utriusque struis unus ignis esse videatur, tu transi per medium. Quod si laesus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus: sin autem (quod credi non potest) sanus evaseris, omnes nos Deo tuo absque ulla difficultate credemus. Cumque hoc foedus non solum Bonifacio, sed et cunctis, quae aderant, Gentibus placuisset, Bonifacius ita vestitus, velut Missarum solemnia celebraturus, prius cum sanctificata aqua, et incenso thure undique perlustrans ignem, deinde stridentes flammarum globos ingressus, ita exivit illaesus, ut nec minimus capitis ejus capillus videretur exustus. Tunc Rex, et caeteri, qui huic spectaculo interfuerant, catervatim se ad pedes beati Viri projiciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, et baptizari se instantissima supplicatione deposcunt. Coepit itaque tanta Gentium multitudo ad Baptisma confluere, ut Vir sanctus ad spatiosum quemdam lacum pergeret, et in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret.

Post haec Damianus decollatum ab uno de regis fratribus Bonifacium narrat, deinde vero, Christianis Deum orantibus, tum illum, tum fautores ejus ad fidem conversos. *Nam*, inquit, *continuo poenitentiam sui criminis flebiliter expetunt, Baptismi sacramenta cum magna alacritate suscipiunt, super corpus quoque beatissimi Martyris Ecclesiam construunt*. Haec Petrus Damianus, qui et paulo antea [y] incidens in mentionem de eodem *Bonifacio viro clarissimo* subjunxit, *quem nunc felicissimum Martyrem se habere Russiana gloriatur Ecclesia*.

34. Ditmari fidem tueri in iis, quae de Brunone refert, superfluum est, quum ejus aequalis, et condiscipulus fuerit. Petri autem Damiani narratio, quum is fuerit Ditmaro pene coaevus, auctoritatem et ipsa facere debet. Sed statim insurgitur: quomodo potuit Damianus asserere, quod *cum ad Regem Russorum pervenisset* Bonifacius, ab eo *Rex, et caeteri baptizari se instantissima supplicatione* poposcerint, si Volodimirus, qui tum erat Russorum rex, jamdiu ad Christi fidem, atque baptismum accesserat? Hoc objici quidem contra Damiani narrationem potest.

(y) In cit. *Vit. S. Romualdi* cap. XXVI. in princ.

Sed animadvertendum est, duas insimul res affirmare Damianum illo in loco voluisse, quarum altera veluti principalis habenda sit, altera quasi explicatrix. Bonifacii iter in Russiam praecipua erat res, quam ille proposuerat enarrare: id autem ut perfectius exequeretur, et ad regem Russorum etiam adivisse Bonifacium dixit. Quapropter declaraturos nos paulo post, quis ille rex fuerit, pollicemur: nunc vero, quod ad Bonifacii iter in Russiam attinet, in quo cardo vertitur nostrae quaestionis, Damiani auctoritatem jure non posse respui contendimus.

35. Italus homo primum Monachus, dein Cardinalis, et Episcopus Ostiensis, itemque scriptor prope Bonifacio coaevus fuit Petrus Damianus. Jamvero is de sacra expeditione loquitur, quae Romae vel decreta, vel saltem confirmata est, quando Bonifacius illo advenit, ut coram Apostolica sede pro sua consecratione se sisteret. Sed jam ille *senex Monachus, qui eum illuc comitatus de Ravennae finibus fuerat*, nedum de iis, quae in via Bonifacius egit, de gentibus quoque, et regionibus, in quas destinatus a Pontifice Romano est, certiorem facere Damianum debuit. Nisi autem bene edoctus postea

Damianus fuisset de Bonifacii itineribus, non ea ita ordinate descripsisset, ut primo illum esse progressum *ultra montanos fines* diceret, atque deinde gentes illas, apud quas beatus Adalbertus martyrium subiverat, distinguens ab aliis gentibus, ad quas transmigravit Bonifacius (idest Prussiam a Russia discriminans), affirmaret, quod *ad regem Russorum Vir venerabilis pervenisset*. Et instructissimum profecto notitia eventorum, rerumque omnium fuisse Damianum oportuit, quum ipse non generaliter, sed singulatim persequutus sit, quae Bonifacius in suis Apostolicis itineribus vel operatus, vel passus est, nec ea solum, quae ante, sed etiam quae post ejus mortem contigerunt.

36. Enimvero scripsit Damianus commentariolum de Bonifacio triginta post martyrium ejus annis circiter, quum nempe sancti Romualdi vitam exponeret, cui illud attexuit. Namque Bonifacius martyrium obtinuit intra annos 1008. ac 1010., uti Collina in ejus vita demonstrat (z); et sanctus Romualdus mortuus est anno 1027.: scripsit autem Petrus Damianus, postquam *tria*

(z) Vid. Bonifac. Collina in *Vit. S. Brunonis Bonifacii* cap. III. et seq.

jam fere lustra transacta fuerant, *ex quo beatus Romualdus, deposito carnis onere, ad aetherea migravit*, ut in *Vitae Prologo* testificatur. Atqui isto in Prologo ea solum describere se protestatus Damianus est, quae ab *egregiis discipulis* ejusdem Romualdi didicerat, non autem eos imitari, qui *Deo deferre existimant, si in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingunt*, vel qui quum *ultro oblatam simplicem veritatem referre facile poterant, in componendis, quae nesciunt, casso labore desudant*. Nimirum declaravit, id sibi propositum fuisse, ut ea solum enarraret, quae auctoribus certis comperta sibi et explorata essent. Porro licet disjuncti a Russis non parvo locorum intervallo Itali sint; spatio tamen illo annorum triginta ob perpetuum commercium, quod cum toto orbe Catholico Romana sedes habet; tum Romualdi discipuli, tum Damianus ipse (ut de ceteris ejus aevi doctis, piisque viris sive Romanis, sive Italis taceamus) non modo Bonifacii iter omne, atque martyrium rescire, sed vera quoque a falsis discernere commodissime poterant. Ac tempus jam, quando nec nimis breve, nec longum nimis est, in rebus historicis,

ut alibi (*aa*) animadvertimus, plurimum ad veritatis detectionem confert.

37. Hactenus de Brunone, et Bonifacio divise tamquam de duobus viris loquuti sumus. Sed unum eumdemque Brunonem, et Bonifacium hominem fuisse, post praeclaras Conradi Janningii (*bb*) animadversiones nos quoque fateri cogimur. Nihil autem exinde de auctoritate et fide vel Ditmari, vel Damiani detrahitur; quum semper in more positum hoc fuerit, ut homo binominis modo ambobus, modo uno solum, vel altero nomine vocaretur. Homo ergo ille, quem Ditmarus Brunonem, Damianus Bonifacium appellavit, ab aliis quibusdam Scriptoribus Germanis, quos Janningius laudat, Bruno Bonifacius nuncupatus est: cui pariter soli tributa, quae vel de Brunone Ditmarus, vel de Bonifacio Damianus prodiderunt. Attulit Janningius monumenta, quae a Meimboniis, et a Leibnitio edita fuerant, tria nempe Chronica Magdeburgense, Quidlinburgense, Halberstadense, et Chronographum Saxonem. Sed non praetereun-

(*aa*) Supr. cap. II. num. 9.

(*bb*) Apud *Act. Sanctor.* Bolland. Tom. VI. Junii pag. 120. et seqq.

dus Annalista Saxo ab Eccardo vulgatus, qui licet ad annum 1009. Brunonem solummodo Episcopum illum vocitet, tamen ad annum 1106. de eo iterum commemorans ipsum Brunonem, simulque Bonifacium appellat. Neque vero Janningium piguit contrarias objectiones excutere. Harum una ex diverso modo deprompta est, quo in allatis Ditmari, atque Damiani testimoniis Brunonis Bonifacii consecratio refertur. Ac Ditmarus quidem consecratum Brunonem dixit *cum licentia domini Papae* a Magdeburgensi Archiepiscopo Tagmone Merseburgi tum commorante, ab eoque Pallium accepisse, quod ipsemet rediens Roma portaverat. Damianus e contra Bonifacium Romae a Papa consecratum innuisse visus est. Attamen verba Damiani optime cum verbis Ditmari componuntur, si cum Janningio de facultate accipiendi consecrationem, minime vero de ipsa consecratione intelligantur. Ut autem observant Auctores Annalium Camaldulensium (*cc*), videtur Damianus decorare Archiepiscopi titulo Bonifacium voluisse ab eo usque tempore, quo idem fuerat a summo Pontifice designatus.

38. Jamvero, ut ad propositum revertamur,

(*cc*) Tom. I. pag. 262.

Germani illi scriptores, qui Brunonem, et Bonifacium eumdem unum hominem faciunt, ipsi quoque fere omnes processisse eum ad Russiam usque perbelle declarant. Etenim Chronica duo Magdeburgense, et Quidlinburgense *in confinio Russiae, et Lithuae* Brunonem illum Bonifacium martyrio affectum narrant: duo autem Saxones Chronographus, et Annalista primo illum perrexisse in *Pruciam*, ibique nihil profecisse tradunt; postea vero scribunt: *Tunc in confinio praedictae regionis, et Rusciae, et Lituae cum praedicaret . . . capitur; deinde . . . . capite plexus*. Omnes ex Ditmari textu ista exscripserunt. Sed Prussiam tantummodo, et Russiam Ditmarus nominaverat: hi autem et Lituaniam adjecere. Profecto, quemadmodum docet Philippus Cluverius (*dd*): *Russi nullo umquam aevo prope Prussiam incoluerunt*: at bene per Lituaniam a Prussia ad Russiam itur. Quum ergo illi Scriptores non Prussiam modo, atque Russiam, sed Lituaniam quoque memoraverint, nonne iter quodammodo descripsisse videntur, quo a Prussia ad Russiam Bruno Bonifacius profectus est? Ut autem et hi, et Dit-

(*dd*) *Germ. antiq.* Lib. III. cap. XLIV.

marus cum Petro Damiano concordent, ideo de Russiae confiniis meminisse putandi sunt, non quod prope illa solum, sed quod etiam ultra Apostolicus ille homo processerit.

39. Quamquam vero et Prussis, et Lituanis, et Russis Bruno Bonifacius Evangelium praedicaverit; populi illi tamen, quos, Petro Damiano teste, Jesu Christo peperit, neque Lituani, neque Prussi, sed magna saltem ex parte Russi fuerunt. Namque in Prussia, ad quam primum iste Archiepiscopus se contulit, *spinis pullulantibus, horrida non potuit facile mollire*, ut Ditmarus loquutus est: cui consentit Helmoldus, qui tempore Federici I. sexaginta circiter annis post Brunonis Bonifacii martyrium testatus est *(ee)*, quod *Pruzi necdum lumen fidei cognoverant*. Lituani vero tardissime sub Jagelone duce circa annum 1386. Christianam colere religionem coeperunt. Ut enim Dlugossum *(ff)*, Miechiovium *(gg)*, Cromerum *(hh)*, aliosque omittamus, haec de gentis istius con-

---

(ee) *Chronic. Slavor.* Lib. I. cap. I. in princ.
(ff) *Histor. Polon.* Lib. X. ad ann. 1387.
(gg) *Histor. Polon.* Lib. IV. cap. XV.
(hh) *Polonicar. Rer.* Lib. XV. in princ.

versione scripsit Jodocus (*ii*). *Jagelo sacri laticis aspersione lotus ad regnum* (Poloniae) *admissus Wladislai nomen sortitus est. Sed et fratres fidem edocti ex aqua Christo sunt renati. Haec in annum ab orbe redempto MCCCLXXXVI incidenrunt; Sarmatiae sceptris obtentis, rebusque domi pacatis, simul cum regina Lituaniam ingressus, eum populum . . . ad fidei Catholicae lumen convertit: ea enim gens a prima hominum origine idololatriis dedita, excaecatis animis, variis, et ridiculis, erroneisque opinionibus obumbrata in hanc aetatem veri luminis jubar ignoravit.* Restat denique Russia, ubi profecto, gentilitate jam a Volodimiro calcata, in sublime quotidie se erigebat nomen Christianum. Ibi ergo salutaribus aquis abluti, qui ex Brunonis Bonifacii praedicatione, vel precibus Christianorum Deo fusis post martyrium ejus ad verae fidei lumen venerunt: ibi quoque aedificata Ecclesia quasi quoddam victoriae martyris sublatum vexillum.

40. Sed quis tandem rex ille Russorum est, quem Bruno Bonifacius adivit, et ad fidem conversum sacro baptismate inauguravit? Busia-

---

(*ii*) Apud Raynald. ad ann. 1386. num. IV.

num istum regem vocant Maurolycus, et Ractius: at quoniam unde hoc nomen acceperint, non dicant, penes auctores fides sit. Neque enim refert disceptare de nomine, quum exploratum jam et minime dubium sit, illum regem Volodimirum non esse. Quis ergo alius, si tunc summo imperio totius Russiae solus potiretur Volodimirus? Quamvis enim, ut in Russorum Annalibus continetur, filios hic suos in provincias distribuerit; vicarios tamen, non pari illos atque se potestate esse voluit. Accedit, quod statim post Volodimiri patris conversionem universi quoque filii ejus fuerant aquis lustralibus expiati (*kk*).

41. Quare extra Volodimiri familiam rex ille perquirendus est, non extra Russiam tamen. Id vero minime nobis spem adimit inveniendi eum, quum habeamus in promptu quemdam Scriptorem illius aetatis, qui viam et rationem indicat, qua facile ipsum reperire possimus. Ademarus Cabanensis hic auctor est, qui sancti Martialis Levomicensis primum, deinde sancti Eparchii Engolismensis Monachus fuit. Haec autem de Brunone, quem nominatum etiam Bo-

---

(*kk*) Miechiov, *Hist. Polon.* Lib. II. cap. III.

nifacium diximus, habet in suis Chronicis perscriptis circa annum 1030. (*ll*). *Sanctus Brunus convertit ad fidem Ungriam provinciam, et aliam, quae vocatur Russia; Regem Ungriae baptizavit, qui vocabatur Geitz, et mutato nomine in baptismo, Stephanum vocavit . . . . . At vero sanctus Brunus cum ad Pincenatos properavisset, et Christum praedicare coepisset illis, passus est ab eis, sicut passus fuerat sanctus Adalbertus.* Jam de Adalberti Pragensis Episcopi martyrio prius dixerat Ademarus, atque a Pincenatis illum etiam fuisse interemptum praedicaverat: qua in re tamen deceptus est, quum Prussi illum necaverint (*mm*). De Brunone autem ita prosequutus est; *Pincenati diabolico furore saevientes viscera omnia ventris per exiguum foramen lateris ei extraxerunt, et fortissimum Dei martyrem perfecerunt. Corpus ejus Russorum gens magno pretio redemit, et in Russia Monasterium ejus nomini construxerunt, magnisque miraculis coruscare coepit. Post paucos dies qui-*

(*ll*) Vid. *Nov. Biblioth. manuscript. Lib.* Philipp. Labb. Tom. II. in praefat. ac pag. 168. et seq.

(*mm*) Vid. supr. num. 33. hoc cap.

dam Graecus Episcopus in Russiam venit, et medietatem ipsius provinciae, quae adhuc idolis dedita erat, convertit, et morem Graecum in barba crescenda, et ceteris exemplis eos suscipere fecit.

42. Bruno itaque, hoc est Bruno Bonifacius, juxta Ademarum primo in Hungariam, in Russiam postea, seu in certam quamdam Russiae plagam se contulit, et utramque *convertit ad fidem*. De Prussis, et Lituanis tacet Ademarus, propterea forsitan quia neutri, ut jam ostendimus [*nn*], tunc amplexati Christi fidem sunt. Hungaris autem primo Evangelium praedicasse Brunonem Bonifacium, confirmari maxime posset auctoritate Petri Damiani ita scribentis *(oo)*: *Interea Romualdus audiens, quia beatissimus vir Bonifacius martyrium suscepisset, nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Ungariam mox ire disposuit*. Sed nos de Hungaria non disputamus, praesertim quod Ademarus in hac parte Brunonem Bonifacium confundat cum alio Brunone, qui in Hungariam missus fuerat an-

(*nn*) Hoc cap. num. 39.

(*oo*) In *Vit. S. Romualdi* cap. XXXIX.

no 972., quum Geitz, seu, ut vocatur ab aliis, Geisa regnaret (*pp*). Bruno autem ille, quem Ademarus testatur in Russiam ivisse post martyrium sancti Adalberti, non alius quam Bruno Bonifacius est. In hac enim parte Ademarus non cum Petro Damiano solum, sed cum Germanis etiam scriptoribus perfecte congruit; quum hi quoque affirment Brunonem Bonifacium post sancti Adalberti martyrium, non vero antea, in Russiam contendisse. Ut autem superius dictum est (*qq*), passus ille fuerat anno 996., vel insequenti: hic vero passus intra annos 1008. ac 1010. Quod ad genus martyrii pertinet ejusdem Brunonis Bonifacii, si ab aliis discrepare videtur Ademarus, non mirum est, quum ne alii quidem illud uno eodemque modo exposuerint. Denique amputationem capitis, quam alii pene omnes attigerunt, non ille prorsus exclusit.

43. Porro quamvis de Brunonis Bonifacii itinere tum in Hungariam, tum in Russiam Ademarus in principio aperte meminerit; postea-

(*pp*) Vid. Asseman. *Kal. Eccl. Univ.* Tom. IV. pag. 104. et seqq.

(*qq*) Vid. supr. num. 33. et 36. hoc cap.

quam tamen de Hungariae conversione loquutus est, quando de Russia dicendum erat, ita dicere maluit: *Sanctus Brunus cum ad Pincenatos properavisset, et Christum praedicare coepisset illis, passus est ab eis, sicut passus fuerat sanctus Adalbertus*. Sic ergo res se habuit secundum Ademari narrationem. Ingressus intra finem Russiae Bruno Bonifacius in quamdam certam Russiae plagam advenit, quam tunc Pincenati occupabant. Erant hi certe a Russis diversi; et ea propter martyris corpus ab iisdem *Russorum gens magno pretio redemit:* quod deinde Russi Boleslao duci Poloniae dederunt, quemadmodum a Ditmaro (*rr*) accepimus. Ad Russos autem ipsos pertinuisse plagam eam, quam utcumque Pincenati illo tempore tenebant, ex eo manifeste liquet, quod *post paucos dies quidam Graecus Episcopus in Russiam venerit, et medietatem ipsius provinciae, quae adhuc idolis dedita erat, converterit*. Eadem quoque *Russorum gens*, ut idem scripsit Ademarus, *in Russia Monasterium ejus nomini construxerunt:* quo in Monasterio illam ipsam fas est Ecclesiam recognoscere, quam Petrus Da.

(*rr*) Vid. supr. num. 32. hoc cap.

mianus commemoravit, atque super ejusdem martyris corpus fuisse aedificatam asseruit (*ss*). Quod enim Ditmarus parum Russis amicus scripserat, diu insepulta jacuisse corpora illius martyris, et sociorum ejus, id esse extra fidem videtur.

44. Igitur Pincenati Brunonis Bonifacii interfectores in Russia ab Ademaro collocantur. Quod si in allato testimonio et Adalbertum etiam, quem constat in Prussia occubuisse, a Pincenatis occisum Ademarus pronuntiavit; caute nihilominus abstinuerat de Russia mentionem inferre, quando ejusdem Adalberti itinera, atque martyrium perstrinxerat. Sed e contrario quum itinera describit, atque martyrium Brunonis Bonifacii, et Russiam, et Russos commemorat.

45. At vero si Pincenati, qui Brunoni Bonifacio mortem attulerunt, Russia quidem vagabantur, sed Russi reapse non erant, hi procul dubio iidem sunt, ac *Печенѣги* Pecegnieghi, ut nobis latine reddere vocem Slavicam magis arridet: quae tamen vox a Latinis scriptoribus aliter atque aliter verti solet. In Russorum, aliarumque finitimarum gentium

(*ss*) Vid. supr. num. 33. in fin.

dus Annalista Saxo ab Eccardo vulgatus, qui licet ad annum 1009. Brunonem solummodo Episcopum illum vocitet, tamen ad annum 1106. de eo iterum commemorans ipsum Brunonem, simulque Bonifacium appellat. Neque vero Janningium piguit contrarias objectiones excutere. Harum una ex diverso modo deprompta est, quo in allatis Ditmari, atque Damiani testimoniis Brunonis Bonifacii consecratio refertur. Ac Ditmarus quidem consecratum Brunonem dixit *cum licentia domini Papae* a Magdeburgensi Archiepiscopo Tagmone Merseburgi tum commorante, ab eoque Pallium accepisse, quod ipsemet rediens Roma portaverat. Damianus e contra Bonifacium Romae a Papa consecratum innuisse visus est. Attamen verba Damiani optime cum verbis Ditmari componuntur, si cum Janningio de facultate accipiendi consecrationem, minime vero de ipsa consecratione intelligantur. Ut autem observant Auctores Annalium Camaldulensium (*cc*), videtur Damianus decorare Archiepiscopi titulo Bonifacium voluisse ab eo usque tempore, quo idem fuerat a summo Pontifice designatus.

38. Jamvero, ut ad propositum revertamur,

(*cc*) Tom. I. pag. 262.

Germani illi scriptores, qui Brunonem, et Bonifacium eumdem unum hominem faciunt, ipsi quoque fere omnes processisse eum ad Russiam usque perbelle declarant. Etenim Chronica duo Magdeburgense, et Quidlinburgense *in confinio Russiae, et Lithuae* Brunonem illum Bonifacium martyrio affectum narrant: duo autem Saxones Chronographus, et Annalista primo illum perrexisse in *Pruciam*, ibique nihil profecisse tradunt; postea vero scribunt: *Tunc in confinio praedictae regionis, et Rusciae, et Lituae cum praedicaret . . . capitur; deinde . . . . capite plexus*. Omnes ex Ditmari textu ista exscripserunt. Sed Prussiam tantummodo, et Russiam Ditmarus nominaverat: hi autem et Lituaniam adjecere. Profecto, quemadmodum docet Philippus Cluverius (*dd*): *Russi nullo umquam aevo prope Prussiam incoluerunt*: at bene per Lituaniam a Prussia ad Russiam itur. Quum ergo illi Scriptores non Prussiam modo, atque Russiam, sed Lituaniam quoque memoraverint, nonne iter quodammodo descripsisse videntur, quo a Prussia ad Russiam Bruno Bonifacius profectus est? Ut autem et hi, et Dit-

(*dd*) *Germ. antiq.* Lib. III. cap. XLIV.

marus cum Petro Damiano concordent, ideo de Russiae confiniis meminisse putandi sunt, non quod prope illa solum, sed quod etiam ultra Apostolicus ille homo processerit.

39. Quamquam vero et Prussis, et Lituanis, et Russis Bruno Bonifacius Evangelium praedicaverit; populi illi tamen, quos, Petro Damiano teste, Jesu Christo peperit, neque Lituani, neque Prussi, sed magna saltem ex parte Russi fuerunt. Namque in Prussia, ad quam primum iste Archiepiscopus se contulit, *spinis pullulantibus, horrida non potuit facile mollire*, ut Ditmarus loquutus est: cui consentit Helmoldus, qui tempore Federici I. sexaginta circiter annis post Brunonis Bonifacii martyrium testatus est *(ee)*, quod *Pruzi necdum lumen fidei cognoverant*. Lituani vero tardissime sub Jagelone duce circa annum 1386. Christianam colere religionem coeperunt. Ut enim Dlugossum *(ff)*, Miechiovium *(gg)*, Cromerum *(hh)*, aliosque omittamus, haec de gentis istius con-

---

(ee) *Chronic. Slavor.* Lib. I. cap. I. in princ.

(ff) *Histor. Polon.* Lib. X. ad ann. 1387.

(gg) *Histor. Polon.* Lib. IV. cap. XV.

(hh) *Polonicar. Rer.* Lib. XV. in princ.

versione scripsit Jodocus (*ii*). *Jagelo sacri laticis aspersione lotus ad regnum* (Poloniae) *admissus Wladislai nomen sortitus est. Sed et fratres fidem edocti ex aqua Christo sunt renati. Haec in annum ab orbe redempto MCCCLXXXVI. inciderunt; Sarmatiae sceptris obtentis, rebusque domi pacatis, simul cum regina Lituaniam ingressus, eum populum . . . ad fidei Catholicae lumen convertit: ea enim gens a prima hominum origine idololatriis dedita, excaecatis animis, variis, et ridiculis, erroneisque opinionibus obumbrata in hanc aetatem veri luminis jubar ignoravit.* Restat denique Russia, ubi profecto, gentilitate jam a Volodimiro calcata, in sublime quotidie se erigebat nomen Christianum. Ibi ergo salutaribus aquis abluti, qui ex Brunonis Bonifacii praedicatione, vel precibus Christianorum Deo fusis post martyrium ejus ad verae fidei lumen venerunt: ibi quoque aedificata Ecclesia quasi quoddam victoriae martyris sublatum vexillum.

40. Sed quis tandem rex ille Russorum est, quem Bruno Bonifacius adivit, et ad fidem conversum sacro baptismate inauguravit? Busia-

(*ii*) Apud Raynald. ad ann. 1386. num. IV.

dam Graecus Episcopus in Russiam venit, et medietatem ipsius provinciae, quae adhuc idolis dedita erat, convertit, et morem Graecum in barba crescenda, et ceteris exemplis eos suscipere fecit.

42. Bruno itaque, hoc est Bruno Bonifacius, juxta Ademarum primo in Hungariam, in Russiam postea, seu in certam quamdam Russiae plagam se contulit, et utramque *convertit ad fidem*. De Prussis, et Lituanis tacet Ademarus, propterea forsitan quia neutri, ut jam ostendimus [*nn*], tunc amplexati Christi fidem sunt. Hungaris autem primo Evangelium praedicasse Brunonem Bonifacium, confirmari maxime posset auctoritate Petri Damiani ita scribentis *(oo)*: *Interea Romualdus audiens, quia beatissimus vir Bonifacius martyrium suscepisset, nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Ungariam mox ire disposuit*. Sed nos de Hungaria non disputamus, praesertim quod Ademarus in hac parte Brunonem Bonifacium confundat cum alio Brunone, qui in Hungariam missus fuerat an-

(*nn*) Hoc cap. num. 39.

(*oo*) In *Vit. S. Romualdi* cap. XXXIX.

no 972., quum Geitz, seu, ut vocatur ab aliis, Geisa regnaret (*pp*). Bruno autem ille, quem Ademarus testatur in Russiam ivisse post martyrium sancti Adalberti, non alius quam Bruno Bonifacius est. In hac enim parte Ademarus non cum Petro Damiano solum, sed cum Germanis etiam scriptoribus perfecte congruit; quum hi quoque affirment Brunonem Bonifacium post sancti Adalberti martyrium, non vero antea, in Russiam contendisse. Ut autem superius dictum est (*qq*), passus ille fuerat anno 996., vel insequenti: hic vero passus intra annos 1008. ac 1010. Quod ad genus martyrii pertinet ejusdem Brunonis Bonifacii, si ab aliis discrepare videtur Ademarus, non mirum est, quum ne alii quidem illud uno eodemque modo exposuerint. Denique amputationem capitis, quam alii pene omnes attigerunt, non ille prorsus exclusit.

43. Porro quamvis de Brunonis Bonifacii itinere tum in Hungariam, tum in Russiam Ademarus in principio aperte meminerit; postea-

---

(*pp*) Vid. Asseman. *Kal. Eccl. Univ.* Tom. IV. pag. 104. et seqq.

(*qq*) Vid. supr. num. 33. et 36. hoc cap.

historiis ad saeculum decimum, atque undecimum famosa de istis populis memoria est. Ab his victus fuerat Volodimiri pater Svatoslaus, cujus calva deinde Cures Lituanus eorum dux pro cratere usus fuit (*tt*). Volodimiro autem regnante, non semel Pecegnieghi in Russiam excursiones fecerunt. Duas terribiliores exposuit in suis Chronicis Nestor Monachus, unam ad annum 995., alteram ad annum 1015., quo Volodimirus mortuus est: at, quemadmodum saepe assolet, ab anno 1007. transvolans ad annum 1011., facta, quae intra illos annos in Russia contigerunt, omnia siluit. Jamvero illo ipso temporis intervallo, ut supra nos semel et iterum innuimus (*uu*), et ipsi quoque Germani, quos allegavimus, scriptores annotant (*xx*), illo ipso temporis intervallo Bruno Bonifacius ingressus in Russiam est, atque ibidem passus. Licet autem in Russia passus sit, non a Russis tamen, sed, ut ab Ademaro

(*tt*) Vid. Albert. Wiuk Kojalovvicz *Hist. Lituan.* Part. I. Lib. II. pag. 36., et Karams. Volum. I. cap. VII. in fin. et in not. 212.

(*uu*) Hoc cap. num. 36. et 42.

(*xx*) Vid. Bonif. Collina in *Vit. S. Brunonis Bonifacii* cap. IV.

didicimus, a Pincenatis, seu a Pecegnieghis, in quos illuc offenderat, interemptus est. In Lituaniam versus tunc Pecegniegos tetendisse oportuit, quoniam scriptores Germani in confinio Russiae, et Lituaniae factam illam caedem affirmant.

46. At sedulo observandum, quod non omnes, maxime qui in locis habitabant remotissimis, quamvis aequales etiam essent illius temporis, atque gestorum Brunonis Bonifacii notitia instructissimi, Russos poterant ab aliis gentibus distinguere, quae tunc aliquas Russiae provincias excursionibus obtinerent. Id sane, iterum dicimus, sedulo observandum est. Inde enim causa ratioque cognoscitur, cur Petrus Damianus in Italia scribens dixerit, quod *ad regem Russorum Vir venerabilis pervenisset*, atque ab eo *Rex, et caeteri baptizari se instantissima supplicatione* petiissent. Russos hoc in loco cnm Pecegnieghis Russia grassantibus permiscuit Petrus Damianus, atque pro istorum duce regem illorum invexit, supposuitque. Hinc Russorum regi fratres attribuit, a quorum uno Bruno Bonifacius interfectus sit: quum tamen constet ex Russiae monumentis, nullum superfuisse de Volodimiri fratribus, quando piacu-

lari aqua idem fuit expiatus (*yy*). Quamobrem ita opus est Damiani verba interpretari, quasi haec loquutus fuisset: Ducem Pecegniegorum, et cum eo aliquos etiam Pecegniegos, sed et multos Russos, quibus illi erant confusi, tunc religionis Christianae sacris initiavit Bruno Bonifacius; is vero post ab uno de ducis fratribus, aliisque Pecegnieghis ejus fautoribus decollatus est. Et ecce, nisi nos omnia fallunt, ille tandem inventus Russorum rex, quem ambiguitate captus intulerat Petrus Damianus.

47. Nil modo refert inquirere, utrum conversio illa Pecegniegorum, eorumque ducis ficta, an sincera fuerit. Quamvis id probabile videatur, eos post susceptum baptismum à Russia subito recessisse: et propter hoc fortasse Nestor de invasione ea tacuit. Id autem ex contextu narrationis Ademari apertum atque manifestum est, praeter nonnullos Pecegniegos ingentem quoque numerum Russorum ad Christi fidem tunc fuisse perductum; ita ut in hac re concordissimi Damianus, et Ademarus inveniantur. Namque si *post paucos dies*, forte postquam Pecegnieghi recesserant, *quidam Grae-*

(*yy*) Vid. Karams. Volum. I. cap. VIII.

cus Episcopus in Russiam venit, et medietatem ipsius provinciae, quae adhuc idolis dedita erat, convertit, altera ergo pars ex praedicatione Brunonis Bonifacii jam sua prius reliquerat idola, et veram amplexa religionem fuerat. Sed jam Ademarus initio dixit, quod *sanctus Brunus convertit ad fidem Ungriam provinciam, et aliam, quae vocatur Russia*. Nec vero ille de exigua quadam, et angusta Russiae provincia loqui putandus est. Eodem enim provinciae nomine sicuti Hungariam, quae parva certe provincia non est, sic et Russiam appellavit: et eruditis jam cognitum est, apud auctores cum veteris, tum medii aevi latius vocabulum istud patuisse, quam hodie apud nos accipitur (*zz*).

48. Itaque ex Ademari testimonio non solum declaratur, quis ille fuerit, quem *regem Russorum* Damianus nuncupavit, sed illud etiam, magis magisque firmatur, ad quod Damianus idem praecipue intenderat, magnam nempe Russorum multitudinem fuisse ad Christum con-

(*zz*) Vid. Forcellini *Lexic.* verb. *Provincia*, et *Glossar.* Ducang. edit. Monachor. S. Mauri sub eod. verb.

versam labore, et sanguine Brunonis Bonifacii, Haud quidem nos latet contra ea, quae hactenus disputata sunt, opponi posse testimonia Mariani Scoti, Abbatis Urspergensis, Alberti Krantzii, et Chronicorum trium Halberstadensis, Vetero-cellensis, ac Wirziburgensis, in quibus praefati Martyris occisio vel a Prussis, vel apud Prussos dicitur perpetrata. Verum hisce in monumentis non omnis de Apostolatu Brunonis Bonifacii historia texitur. In aliis enim, martyrio excepto, cetera ne attinguntur quidem; in aliis pauca breviter, aut vix indicantur: Chronicon autem Halberstadense utique multa illius Apostolici viri gesta persequutus est, sed multa etiam omisit. Quod si tantum ea vera sunt, quae in monumentis istis reperiuntur, nemini profecto unquam, nedum ad praesens nobis, nemini omnino unquam licitum fuisset affirmare ultra Prussiam Brunonem Bonifacium progressum esse. Falsa igitur Chronica illa duo Magdeburgense, et Quidlinburgense, falsi duo illi Chronographus, et Annalista Saxones, falsus Ditmarus, falsus Petrus Damianus, falsus Ademarus, quorum nos vestigiis ingressi et Lituaniam, et Russiam adjecimus. Quid ergo? num id fecimus, quod sit necesse poenitere? Minime

gentium. Sequuti enim nos Ademarum, qui in Gallia scripsit, et Petrum Damianum, qui scripsit in Italia, et Ditmarum, ac ceteros, qui in Germania scripserunt, non Germanos modo, sed Italos etiam, et Gallos auctores, testes, et patronos habuimus. Tres autem hi Ditmarus, Damianus, Ademarus vetustate alios omnes superant scriptores, qui hucusque inventi sunt de Brunone Bonifacio meminisse. Ceterum quod ad illius iter in Russiam pertinet, vel sola Petri Damiani auctoritas nobis sufficere poterat, debebatque, utpote quae, ut ostendimus (*aaa*), tam gravis in hac re est, quam quae maxime. Meminerint ergo alii de Prussia; si Damianus, aliique tum suae ipsius, tum posterioris aetatis aut Russiam, aut Russiam simul et Prussiam commemorarunt, aut Lituaniam quoque, per quam a Prussia ad Russiam itur, addiderunt: sicuti credere in Prussiam Brunonem Bonifacium se contulisse oportet, sic et oportet credere in Lituaniam etiam, et in Russiam ivisse.

49. At enim monumenta in contrarium adducta in Prussia occubuisse illum Martyrem, non in Russia testantur. Quare, ut haec, alia-

---

(*aaa*) Supr. num. 35. et seq. hoc cap.

que invicem omnia monumenta cohaereant, Auctores Annalium Camaldulensium [*bbb*] e Russia in Prussiam transtulisse se, et in hac denique, haud vero in illa regione caesum Brunonem Bonifacium arbitrati sunt. Qua in opinione firmum quidem profecto iter in Russiam ac salvum remanet. Sed quae a nobis prolata superius fuerant monumenta (in universum ceteris haud dubie praestantiora) martyrium ipsum, si omnia insimul uniantur componanturque, non in Prussia, sed in Russia constituunt. Ab his autem dissentire ob aliquorum contraria testimonia, quae non idem habent pondus, nemo emunctae naris homo sibi esse licitum putabit. Ac ideo, ut reliqua exempla virorum doctissimorum, qui Russiam retinuerunt, nunc silentio praetermittamus, in manu scripto Kalendario Ordinis sancti Benedicti apud Bollandum ad diem quartum Februarii legitur: *Sancti Brunonis Archiepiscopi Ruthenorum martirizati a Ruthenis, prius Monachi in Italia*. Monachis scilicet Ordinis sancti Benedicti, quos medio etiam aevo doctrina et eruditione floruisse constat, in Russia ad mortem raptum Brunonem

---

(*bbb*) Tom. I. pag. 307, et seq.

Bonifacium pro comperto fuit, nequicquam Prussiam aliquibus proponentibus. Sed jam probabilis afferri ratio potest, cur Prussiam nonnulli pro Russia invexerint. Non omnibus propositum erat, Brunonem Bonifacium sequi in suis itineribus universis: at nòtum erat omnibus Prussiam illum recta petiisse. Quidam ergo aut ignari, quas homo ille Apostolicus deinceps peragraverit regiones, aut parum de martyrii ejus loco solliciti, in Prussia, ubi primo substitisse eum noverant, occisum putaverunt.

50. Unum solum Brunonem Bonifacium nominarunt Ademarus, et Petrus Damianus. Sed alter nimium studuit brevitati, alter totus in laude Brunonis Bonifacii aliorum fuit incuriosus: etsi haud omnino Damianum praeteriit illum comitatu quorumdam sociorum Romam iter confecisse (*ccc*). Verum enimvero Germani scriptores, Ditmarus in primis, homines octodecim socios ei fuisse in martyrio ipso tradiderunt. Et sine dubio mendum irrepsit in textum Annalistae Saxonis ad annum 1106. ubi notatus sociorum XXIV. numerus est; quum prius ad annum 1009. iidem dicti fuerint XVIII. Re-

(ccc) Vid. supr. num. 33. post initium.

vera Ditmarus, aliique eumdem hunc XVIII. numerum habent. Socios istos Bruno Bonifacius secum duxisse ex Italia videtur, et eos sibi adjunxisse, antequam Roma discederet. Haec enim legimus in Chronico Halberstadensi (*ddd*): *Praesedit tunc temporis Romanae Ecclesiae Silvester Papa* (secundus hoc nomine, electus anno 999. et mortuus anno 1003), *qui beati Brunonis agnoscens causam adventus, licentiam ei cum sociis suis tribuit praedicandi.* Nisi si partim eorum ex Italia, partim ex Germania allecti fuerint. Paulo enim post eodem in Chronico octodecim expresse dicuntur tum, quando profecti sunt e Saxonia in Prussiam. At vero qui de sociis his mentionem faciunt, omnes mire consentiunt, illos eodem nedum tempore, sed loco etiam una cum Brunone Bonifacio sanguinem et vitam profudisse. Nos autem satis superque probavimus Brunonem Bonifacium in Russia mactatum esse. Id ipsum ergo et de sociis ejus dicendum est. Quapropter, quoniam in consortium Evangelicae praedicationis ii fuerant

(*ddd*) Inter *Scriptor. Rerum Brunsvic.* Leibnit. Tom. II. pag. 120.

assumpti, ipsi quoque antea, quam cum Brunone Bonifacio mactarentur, eum auxiliati sunt in conversione Russorum.

51. Quae cum ita omnia sint, haud ergo amplius dubitandum, quin praeter Graecos Russi Latinos quoque institutores ac patres habuerint. Namque, ut fuse jam commonstravimus, habuerunt Brunonem Bonifacium, qui in Russiae fines ingressus innumerabilem populum sacro regeneravit baptismate: habuerunt socios illos octodecim, qui Brunonem Bonifacium comitati eodem Apostolatus honore, eademque Martyrii palma dignati sunt: sed et Reinbernum habuerunt, qui tot tantaque in illa excolenda vinea molitus est, ut non potuisse se ea enarrare Ditmarus declaraverit. Porro Reinbernus, ut supra dictum est, filiae Boleslai Polonorum ducis, quae nuptum data est uni de filiis Volodimiri, comes fuerat adjunctus. Qui autem Boleslao successit, ejus filius Miecesla us, ipse quoque in propaganda apud Russos Christiana religione curam et operam posuisse fertur. Hic enim, Saxonibus contra Russos *in societatem armorum assumptis, longa expeditione gentem aggreditur, et victor legem imponit, ut essent Christiani,* quemadmodum scripsit Albertus Kran-

tzius [*eee*]; qui statim subjunxit: *Ecclesiae tamen Orientali se potius, quam Romanae Occidentali conformarunt.*

52. Enimvero Orientales ritus a Graecis, qui Latinos praeivere, in Russiam invecti fuerant. A Latinis autem, qui postea venerunt, in Romanas ceremonias ritus eos mutari certe non oportuit; *quum* (ut edixit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. in Constitutione, quae incipit *Imposito Nobis* XLIII. Tomi III. sui Bullarii) *numquam Ecclesiae Latinae mens fuerit, ut Graecorum ritus destrueret.* Namque *Orientalis Ecclesiae ritus* (ut idem Pontifex loquitur in Constitutione *Etsi Pastoralis* LVII. Tomi I.) *non minima ex parte a sanctis Patribus profecti, vel a Majoribus traditi sunt.* Legantur praeter duas laudatas aliae quoque ejusdem Pontificis Constitutiones, nimirum octuagesima prima, cui initium *Romana Ecclesia*, octuagesima septima *Demandatam coelitus*, nonagesima octava *Inter plures* Tomi I., et quadragesima quarta *Etsi persuasum* Tomi III., praesertim vero quadragesima septima *Allatae sunt* Tomi IV., ubi, collectis innumeris exemplis, clare atque pa-

(eee) *Saxon.* Lib. IV. cap. XXXIII.

lam ostenditur Latinam Ecclesiam in id summe studuisse, ut Orientales ritus, contra ac nonnulli dictitant, perpetuo servarentur. Hoc autem agnoscit etiam in infelici suo libello typis nuper excuso Alexander Stourdza [*fff*], quum Ecclesiae Catholicae praeter alia vitio vertit, quod Graecis sibi conjunctis *plurimos ritus Romanae Ecclesiae extraneos* permittat.

(*fff*) *Considerations sur la doctrine et l'esprit de l'Eglise orthodoxe* pag. 43.

CAPUT VI.

In Romanae sedis communione Russi a Graecis aeque, atque a Latinis Christo geniti fuerunt. Igitur Graecos, nedum Latinos, tunc fuisse eidem sedi Romanae unitos probatur: idque magis, toto illo tempore, quod inter Photium, atque Cerularium interfluit, schisma numquam inter Latinam, et Graecam Ecclesiam esse factum. Hoc autem primo attingitur generatim; singulis postea illius temporis percensitis Patriarchis Constantinopoleos, neminem ex eis in Romanam sedem fuisse rebellem evincitur.

53. Quamquam initio conversionis suae Russi Ecclesiae Orientalis ritus receperunt; simul nihilominus communione perfecta cum Apostolica Romana sede conjuncti fuerunt, et supremae ejusdem auctoritati subjecti. Quod quoniam non indocti solum homines imperite, verum etiam docti nonnulli improvide inficiati sunt, diligentissime est nobis comprobandum. Id autem facile assequemur, si quo tempore Russi

adducti fuerint, ut evaderent Christiani, in memoriam redeamus. Post saeculi decimi dimidium, seu potius ante ejusdem saeculi finem, et sub initio undecimi, ut ex dictis patet, Russi Christianam fidem a Graecis, et a Latinis edocti sunt. Ordiemur autem a Latinis, quorum industria salutare opus jam a Graecis incoeptum quasi absolutum quodam modo est.

54. Sed otio abuti videremur, si ad persuadendum id, quod omnes habere persuasissimum debent, argumenta adhiberemus, Latinos videlicet Russos Christo genuisse Cathedrae Petri agglutinatos. Italia non solum, verum Polonia etiam, atque Germania, e quibus in Russiam Evangelii praecones Reinbernus, Bruno Bonifacius, et socii ejus octodecim missi sunt, Apostolicae sedi strictissime tum consociabantur. Nemini unquam de hoc dubitare, aut suspicari venit in mentem. Ac revera unionis istius omnia propemodum ecclesiastica illius aetatis monumenta testimonium perhibent. Quare et Russi, qui a Latinis illis vel nati Christiani, vel alti, et roborati sunt, eidem sedi Apostolicae copulati adstricti et inserti sunt. Certe qui primitivam Russorum unionem cum Romana Ecclesia negaverunt, neutiquam ii cogitarunt de

Latinis, rati Christianam fidem a solis Graecis in Russiam inlatam. Verum post ea, quae disseruimus, Latinos excludere nemo, nisi valde sit pertinax, audebit.

55. Quid? quod Graecos ipsos etiam tunc temporis Ecclesiae Romanae addictos fuisse probabimus? Jam quum de baptismo Olgae, ejusque piis conatibus verba fecimus, solidis firmavimus argumentis, schisma Latinos inter, et Graecos post alteram Photii expulsionem plane atque omnino cessasse (*a*). Hoc nunc audacter subjungimus, diffuseque suscipimus declarandum, ante Michaelis Cerularii tempora schisma numquam revixisse. Photius denuo, et ultimum ejectus fuerat anno 886., Cerularius autem electus est in Patriarcham Constantinopolitanum anno 1043., licet non eodem hoc anno, sed 1053. in Romanam, omnemque Latinam Ecclesiam invehi coeperit (*b*). Atqui per totum illud intermedium tempus colligati semper atque adstricti mutuo pacis vinculo inter sese Latini, et

(*a*) Vid. supr. Cap. III. num. 19. et seq.
(*b*) Vid. Baron. ad ann. 1053.

Graeci fuere. Id sane quidem Graeci in primis scriptores affirmant.

56. Emmanuel Caleca vir doctus, qui floruit medio circiter saeculo, ut quidam opinantur, tertio decimo, ut volunt alii, decimo quarto, sic (c) loquutus est. *Obiit autem Photius, cum esset Ecclesiarum unitas, quae post illum per decem et septem Patriarchas duravit . . . . Deinde, ut ait praedictus historicus Scylex* (Graecus auctor, quem prius laudaverat), *Michael Patriarcha cognomento Cerulus, aliis rursus emergentibus casibus, quales hominibus saepe superveniunt, simulque invidente pacis adversario* (diabolo) *Romanum Pontificem propter azyma diptychis dejecit.* Recensuit nomina Patriarcharum horum Auctor item Graecus operis inediti *de Translationibus Episcoporum* apud Leonem Allatium [*d*]: *Post Photium Antonius, ut diximus, postmodum Stephanus* (sed melius, immo vere Stephanus pri-

---

(*c*) Lib. IV. *advers. Graec.* in Max. Biblioth. veter. Patr. Tom. XXXVII. pag. 450.

(*d*) *De Eccl. Occid. atq. Orient. perp. consens.* Lib. II. cap. VIII.

mum, deinde Antonius), *Nicolaus Mysticus, Euthymius, rursus idem Nicolaus, postea Stephanus, Trypho, Theophylactus, Polyeuctus, Basilius, Antonius, Nicolaus Chrysoberges, Sisinnius ex praefecto, Sergius, Eustathius, Alexius, et Michael Cerularius.* His recensitis Patriarchis, illud statim admonuit: *Animadvertas hos omnes praeter unum Cerularium cum Italis communicasse.* Praeterea Joannes Veccus Chartophylax, et Michaelis Palaeologi Orator ad Concilium Lugdunense II., deinde anno 1275. creatus Patriarcha Constantinopolitanus, homo et sanctitate, et doctrina clarissimus, haec in secundo Apologetico pronuntiavit (*e*): *Itemque a Photio ad Cerularium tempus intercurrens, et septuaginta supra et centum annos exsuperans tranquillum et placidissima pace salutare Ecclesiis refulsit.* Id ipsum Veccus etiam inculcavit in Libro tertio ad Theodorum Episcopum Sugdaeae (*f*).

57. Nec vero quis reprehendere et irridere potest, quod Graecorum illorum testimonia hic

---

(e) Ap. Leon. Allat. *de utriusque Eccl. in dogmate de Purgatorio consens.* pag. 667.

(*f*) Ap. eumd. Allat. ibid. pag. 855.

referamus, qui non modo habuere cum Latinis pacem, sed etiam utramque reconciliare Ecclesiam studuerunt. Tantum enim abest, ut ideo eorum fides suspecta esse debeat, ut contra major exinde dictis eorum fides accrescat. Num adeo stulti illi erant, ut in concordiam dissidentes Graecos reducere obtrudendo falsa se posse arbitrarentur? Praesertim cum ea de re, quam pervulgatam apud omnes esse oportebat, dicerent testimonium. Accedit, quod his aliqua saltem ex parte Graeci quoque a Latinis divisi assentiantur. Nicetas Nicaenus (*g*), *Photio quoque*, ait, *post multas querelas, ac turbas sine alia disquisitione Romanis unito, similiter et Ecclesiarum unio subsecuta est. Sub Sergio item, qui, imperante Bulgaricida, Patriarchatum tenuit, dicitur rursum schisma obortum fuisse; sed quam ob causam ipse ignoro: videtur tamen sedium causa.* Maximus Margunius (*h*) postquam de pace Latinos inter, et

---

(*g*) Ap. eumd. Allat. *de Eccl. Occid. atq. Orient. perp. consens.* Lib. II. cap. VI. num. VIII.

(*h*) In *Dialog. Geaec. et Lat.* ap. eumd. Allat. in cit. Lib. II. cap. VI. num. IX., et cap. VIII. num. II.

Graecos sub Photii tempore composita loquutus est, perdurasse eam significavit ad tempus usque Sergii Patriarchae, qui Latinorum *haereseos* [hoc enim vocabulo ipse utitur] certior factus *e sacrorum diptychorum albo ejecit* nomina Pontificum Romanorum. Auctor quoque operis *de separatione Ecclesiae Romanae a Graeca*, et alii nullum pariter schisma a Photio ad Sergium agnoverunt. Consulatur Leo Allatius (*i*), qui Graece, et Latine retulit eorum locos; atque errata, illud maxime, quod est de unione a Photio ipso inita cum Ecclesia Latina correxit.

58. Quidam ex istis Graecis Sergium exhibuerunt ut proximum decessorem Michaelis Cerularii. Si hoc verum esset, parum ipsi discreparent ab aliis Graecis, qui paulo post, scilicet a Cerulario, renovatum schisma tradidissent. Sed non est dissimulandum, quod ante Michaelem Cerularium post Sergium duo alii Eustathius primum, deinde Alexius Patriarchae extiterint. Sergius autem Patriarcha fuit renuntiatus anno 999., et viginti annos sedit (*k*). Jam-

(*i*) Loc. cit.

(*k*) Vid. Pagium ad ann. 999. num. X., et Lequien. *Oriens Christ.* Tom. I. col. 257.

vero nos paulo infra illud quoque speciatim erimus corroboraturi, ne sub Sergio quidem schisma fuisse instauratum. Nunc autem etsi post ea, quae nuper allegavimus, testimonia constare satis videatur a Photio ad Sergium communione mutua Graecos, atque Latinos inter sese usos esse, id ipsum tamen peculiaribus etiam exemplis corroborare, ut sole ipso illustrius et clarius sit, volumus. Et quoniam sub Patriarcha Stephano, qui post Photium constitutus est, schisma saltem sopitum, penitus autem extinctum fuisse sub Antonio jam demonstravimus (l), modo solum successores reliquos percurremus.

59. Sub Nicolao Mystico, qui in Antonii locum fuit subrogatus anno 895., quartae Leonis Sapientis nuptiae turbarunt quietem Ecclesiae Constantinopolitanae. Approbare enim eas nuptias, utpote legibus Orientalis Ecclesiae contrarias, abnuit Nicolaus Patriarcha, et Imperatorem ipsum initi jam matrimonii tenacissimum a sacrarum aedium ingressu prohibuit. Sed tunc maxime Constantinopolitanae Ecclesiae observantia enituit in Ecclesiam Romanam.

(l) Cap. III. num. 19. et 20.

Primo enim acciti Roma fuerunt (acciti autem ejusdem Nicolai (*m*) hortatu) Legati Apostolicae sedis, qui litem dirimerent. Atque hi quidem quum judicaverint rigorem legum imperatori relaxandum esse, nuptias eas fecerunt ratas. Nicolaus autem postea, quam restitutus in Ecclesiam suam est (pro eo namque in exilium pulso Eutymius fuerat substitutus), in verbosa epistola ad summum Pontificem Anastasium III. scripta circa annum 912. tametsi de Legatorum judicio graviter conquestus sit, revereri se tamen supremam sedis Romanae dignitatem prae se tulit. Quamobrem ubi Orientalium quorumdam suorum *inimicorum mendaciis inductos* Legatos denuntiavit; ab his, Graecis licet, non auctoritate sua, sed ejusdem Romani Pontificis jussione repetendam esse poenam censuit. *In eos*, sic enim, narrata primum actorum serie, praefatam epistolam clausit, *in eos animadvertendum, beatissime Pater, qui supersunt, qui tot in me tantasque turbas crimina-*

(*m*) Vid. Epist. Nicol. Patriarchae Constantinop. ad Anastasium III. apud Baron. ad ann. 912. num. VI., et in Tom. XI. *Concilior.* Labb. col. 717. et seqq. edit. Venet. Coleti.

tionibus falsis excitarunt. Ita tuae erunt partes; id a te dignitas primum tua, Romanaeque sedis decus exigit; id qui nunc rerum potitur imperator (Alexander successor, et frater Leonis Sapientis), *misso ad te palatii magistro, nosque omnes obnixe petimus atque obsecramus.* Praeterea aliquot post annos, quando nimirum dissidia Constantinopolitanae Ecclesiae composita fuere, scripsit Nicolaus Patriarcha ad Joannem X. epistolam breviorem (*n*), in qua eum rogavit, ut, *omnis offensionis memoria deposita*, alios Constantinopolim Legatos mitteret. Atque ut eum urgeret magis, misit Romam cum imperatoris Legato *Basilio protospathario, et aurei triclinii praefecto etiam ipse Legatum suum Eulogium honorabilem presbyterum;* et haec eidem epistolae subjunxit: *Hos tu, beatissime Pater, et excipies (uti spero) fronte hilari, et nos mutuis legationis officiis remunerabis: Joanni venerabili Episcopo, cujus apud nos jam experta virtus, id munus, si expedire videbitur, injungens, aut ali-*

(n) Ap. Baron. ad ann. 916. num. II., et in cit. Tom. XI. *Concil.* col. 721. et seq.

cui alii moribus illi non absimili, qui si qua sunt adhuc correctionis indiga, doctrina, atque consilio emendare valeat nobiscum juxta ecclesiasticas constitutiones. Et quoniam illos inter tumultus nomen Pontificis Romani ex sacris diptychis fuerat deletum, haec quoque intulit: *Sic enim et Sanctitatis tuae nomen ex sacro Ecclesiae Constantinopolitanae albo, ut mos olim est, una cum nostro rursus celebrabitur.* Porro misisse tunc Legatos suos Joannem X. testatur idem Nicolaus in litteris ad Simeonem principem Bulgariae [o]. Quibus in litteris cum honorifice, ut in aliis supra laudatis, de Apostolica sede loquitur, tum illud dicit praeclare: *Sanctissimi Romani Papae, cui minime parere nefas, gravis apud bonos omnes auctoritas*: quum vero de pace per Legatos confirmata meminit, his utitur verbis: *Haec de legatione Romana, cujus adventu . . . . scandalis, quae ob tetragamiam apud nos omnia turbarant, impositus est finis, pax Clero reddita, coetus sacri mira animorum conspiratione habiti, et ut verbo dicam, Romana, ac Constantinopo-*

(o) Ap. Baron. ad ann. 917. num. IV.

litana Ecclesia ita in unam eamdemque coalita est fidem, ac consensionem, ut nihil amplius vetet, quo minus nos optatissima illorum communione, et sanctificatione perfruamur.

60. Nicolaus Mysticus obiit anno 925. Stephanus II. deinde electus in Patriarcham; sub quo tamen nihil accidisse novi in Ecclesia Constantinopolitana apud Historicos invenimus. Excepit Stephanum anno 928. quidam Monachus Tryphon. At Romano Lecapeno imperatore annitente, ut quam citissime filius suus Theophylactus adolescens, vel puer potius, in Constantinopolitana sede collocaretur, Tryphon per dolum expellitur; qui proinde in Monasterium suum redit, et ibidem moritur. Postea anno 933. consecratur Theophylactus tunc annos dumtaxat sexdecim natus. Verum, ut annotavit Leo Grammaticus in sua *Chronographia* (p): *Praefatus autem imperatoris filius Theophylactus Patriarcha consecratus est, adstantibus Romani Pontificis Legatis, et tomum Synodalem de ejus ordinatione tractantem proferentibus, eumdemque collocantibus in*

(p) Post Theophan. *Chronogr.* pag. 506. edit. Paris. 1655.

throno Patriarchali. Id ipsum annotarunt Georgius Monachus (*q*), et Simeon Magister, ac Logotheta [*r*], aliique item Graeci Scriptores (*s*). Tenebat Romanam Cathedram eo tempore Joannes XI., qui postea supremum diem explevit anno 936. Antea vero, quam iste Pontifex moreretur, idem imperator Romanus Lecapenus *effecit, ut ex Papae nomine Theophylacto Patriarchae litterae mitterentur, qua auctoritate cum ipse, tum Successores ejus absque Paparum permissu Palliis uterentur.* Scripsit hoc Liutprandus (*t*), qui eodem illo saeculo bis Constantinopolim legatus est, semel a Berengario II. anno 946., iterum anno 968. ab Ottone Magno. Ex illo autem facto apparet, aevo illo Patriarchas Constantinopolitanos a Romanis Pon-

(*q*) *Hist. Biz. Script.* post Theoph. pag. 587. et seq. edit. Paris. 1685.

(*r*) Ibid. pag. 489.

(*s*) Incert. Continuat. Theoph. ibid. pag. 261., et Auct. *Chronogr.* ap. Allatium *de Eccl. Occid. atque Orient. perp. consens.* Lib. II. cap. VII. in fin.

(*t*) In Legatione II. Constantinopolit. ad Nicephor. Phocam ap. Murator. *Script. Rer. Italic.* Tom. II. pag. 488.

tificibus Pallium petere consuevisse: quandoquidem optans Lecapenus, ut absque speciali licentia in posterum Patriarchae omnes induere sacrum illud insigne possent, litteras ea de re nomine Joannis XI. ad filium suum mittendas curavit.

61. In locum Theophylacti demortui anno 956. Polyeuctus inauguratus est; qui inter vivos agebat etiam tum, quando alteram suam legationem Liutprandus obivit. Atqui Episcopus Cremonae in Italia erat tunc Liutprandus, et tamen nihilominus cum Polyeucto Patriarcha, et Nicephoro Phoca imperatore, aliisque Graecis, in quos ceteroquin non bono erat animo, haud cavit communicare: immo in publica quadam supplicatione *juxta psaltas idest cantores*, ut ipse loquitur, prodiit in publicum; atque in die festo sanctorum Apostolorum, ut idem ipse insinuat, *ad sanctos Apostolos*, hoc est ad Ecclesiam illorum honori dicatam, *Missarum* solemniis interesse non dubitavit. Neque Graeci rursus Liutprando ullam schismatis suspicionem dederunt. Tametsi enim ab eo de Romanis Pontificibus saepe injecta mentio esset, ac nominatim Gregorius Magnus *universalis Papa* ab eo fuisset nuncupatus coram Patriarcha Polyeu-

cto, adstantibus quoque et audientibus pluribus Episcopis, et imperatore ipso Nicephoro Phoca; nulla tamen unquam de Romanae sedis primatu orta cum Graecis altercatio est. Summus autem Pontifex Joannes XII., qui tunc in Petri Cathedra sedebat, deditos sibi atque devotos Graecos certe existimavit, quum, eodem teste Liutprando, suos etiam ipse Legatos ad Nicephorum miserit.

62. Pervenerunt Constantinopolim Legati Romani Pontificis paulo ante, quam Liutprandus ex illa urbe discederet. Male ibi quidem tam ille, quam isti habiti fuere; at, quemadmodum Liutprandus idem testatur, imperatoris Ottonis, qui in Graecorum invidiam inciderat, non Apostolicae sedis odio id factum est. Per hosce legationes conjux Ottoni filio Ottonis Magni postulabatur. Sed quod impetrari non potuit a Nicephoro, imperatore postea Joanne Tzimisce obtentum est. Itaque sub Patriarcha Basilio, qui post initium anni 970., mortuo Polyeucto, electus fuerat, alii Ottonis Legati, quos inter Archiepiscopus Coloniae cum Episcopis duobus, Constantinopolim ad conciliandas nuptias advenerunt. Meminit de ista legatione Hugo Flavi-

niacensis (*u*); qui et narrat ab imperatore Tzimisce Coloniae Archiepiscopum sacro martyris Pantaleonis corpore fuisse donatum. Pacta tunc Ottonis filio est Theophania filia Romani junioris quondam imperatoris Graecorum; cui nobili puellae e Graecia venienti Theodoricus Metensis Episcopus obviam postea missus est (*x*). Refert autem Sigebertus Gemplacensis (*y*), Romae celebratum illud matrimonium fuisse, ibique Theophaniam *a Joanne Papa* (XIII.) *coronatam*. Quae quidem omnia si pacis inter Latinam, Graecamque Ecclesiam certissima signa non sunt, quae alia sint, vel esse possint, nescimus.

63. Post Basilium tres ante Sergium numerantur Patriarchae Constantinopolitani Antonius II., Nicolaus Chrysoberges, et Sisinnius, renuntiati primus anno 974., secundus anno 983., tertius anno 996. Jamvero neque sub istis Patriarchis aliquid, quod sit contrarium pacis,

(*u*) *Chron. Virdun.* ap. Labb. *Nov. Biblioth. manuscr.* Tom. I. pag. 166.

(*x*) Sigebertus Diaconus in *Vit. Theodorici I. Episcopi Metens.* ap. Leibnit. *Rer. Brunsvic.* Tom. I. pag. 305.

(*y*) Ad ann. 972.

occurrit. Res igitur tunc eodem, quo antea fuerant, statu mansisse dicendum est. Ac revera praeter illam legationem superius (z) memoratam Episcoporum Joannis Placentini, et Bernvvardi Wirciburgensis, qui in Graeciam anno 995. missi fuere; illo tempore, ut apud Mabillonium videre est in Tomo IV. Annalium Ordinis sancti Benedicti, invenimus illo tempore et Latinos Monachos, qui in Orientem, et Monachos Graecos, qui in Occidentem libere et sine scrupulo transmigraverunt.

64. Attamen Baronius de Nicolao Chrysoberge ita loquitur (*aa*), ut credidisse videatur, eo Patriarcha Constantinopolitanam Ecclesiam a communione Apostolicae sedis alienam fuisse. Motus Baronius est partim acclamationibus, quae leguntur in Jure *Graeco-Romano* post *Tomum unionis* apud Leunclavium (*bb*), eo quod in illis Photius inter Patriarchas orthodoxos recenseatur; partim vero dictis Marci Ephesii, qui in OEcumenica Florentina Synodo sessione VI.

(z) Cap. V. num. 29.
(*aa*) Ad ann. 995. num. XVI. et seqq.
(*bb*) Pag. 108.

sic fatus est [cc]: *Itaque ex eo tempore ad hunc usque diem in magna Constantinopoleos Ecclesia ita legitur: Omnibus, quae adversus sanctos Patriarchas Photium, et Ignatium scripta, vel dicta sunt, anathema.* Verum enimvero tempus a Marco Ephesio objectum a Photio ipso, non a Nicolao Chrysoberge capit initium. Docuerat id etiam Baronius, quando (*dd*) integrum ipsius Marci locum exscripserat. Porro, ut supra (*ee*) nos monumentis certis ostendimus, in Constantinopolitana Ecclesia post ultimam expulsionem Photii Photio ipsi expresse, non vero ejus adversariis dictum anathema est. Saeculo igitur decimo quinto, quo Florentina Synodus habita fuit, Marcus Ephesius sero nimis ad fallendum venit.

65. Sed neque acclamationes majus ad faciendam fidem pondus habent. *Tomus unionis*, qui apud Leunclavium illis praemittitur acclamationibus, in Constantinopolitana Synodo sub

---

(*cc*) Vid. Tom. XVIII. *Concil.* Labb. col. 90. edit. Venet. Coleti.

(*dd*) Ad ann. 869. num. LXI.

(ee) Cap. III. num. 20.

Patriarcha Nicolao Mystico fuerat promulgatus anno 920., imperatoribus Constantino Porphyrogenito, et Romano Lecapeno: per illum autem *Tomum* Patres Synodi Constantinopolitanam *Ecclesiam ex causa diversarum nuptiarum* (Leonis Sapientis) *scissam Dei gratia unierunt; quo factum est, ut convenienter appellationem unionis acceperit*, quemadmodum circa undecimi saeculi finem scripsit Anastasius Episcopus Caesareae in Palestina *(ff)*. Tunc igitur, ut subdit Leo Grammaticus *(gg)*, *totius Ecclesiae... inita est concordia, cunctis Metropolitis, et Clericis, qui a Nicolai, et Euthimii partibus divisis steterant animis, in consensionem redeuntibus*. Porro id ipsum testatus est imperator ipse Constantinus Porphyrogenitus in illius Synodi *Argumento* apud eumdem Leuncla-

(*ff*) Ap. Coteler. *Monum. Ecclesiae Graecae* Tom. III. pag. 435., et vid. Lequien. *Oriens Christ.* Tom. III. col. 573.

(*gg*) In *Chronograph.* post Theophan. *Chronogr.* pag. 497. edit. Paris. 1655.

vium (kk). Sed jam Patriarcha Nicolaus Mysticus illico de pace ea Joannem X. certiorem fecerat per epistolam paulo antea a nobis laudatam, in qua dixerat: *Affulsit subito illa captum omnis intellectus supergressa pax, Dominus scilicet et Deus noster Jesus Christus, qui saevam illam hiemem atque tempestatem communis hostis opera coortam in ipsa halcyonia mutavit: adeo ut nullum penitus dissensionis vestigium remanserit, nulla odii cicatrix: omnes velut ex condicto veterum obliti idem plane sentiunt.* Ut autem nos quoque narravimus, pace postea per Legatos ejusdem Joannis X. confirmata, plane atque omnino, eodem teste Nicolao in epistola ad Bulgariae principem, *scandalis impositus est finis*. Sed quorsum haec tam alte repetita pertinent? Gravissimis hisce auctoritatibus non redarguitur solum, verum etiam convincitur Graecus Scriptor, quicumque is fuit, qui acclamationes illas consarcinavit; redarguitur nempe atque convincitur, posteriori aevo easdem se aut cudisse, aut

---

(*kk*) Pag. 103.

cretum quoddam a Patriarcha Sisinnio editum in Constantinopolitana Synodo habita anno 997., in quo vetitum, ne duas consobrinas fratres duo uxores assumant. Forsitan Cedrenus, et Curopalates ad istud alludere Decretum voluere. Sed ut ut ab iis acceptum illud sit, in eo quidem certe: neque de quartis nuptiis, neque de dissensionibus, quibus illae dederunt locum, ulla mentio est. Denique nec Sisinnius in suo Decreto, nec duo illi historici Curopalates, atque Cedrenus tunc vel de acclamationibus, vel de Photio meminerunt.

67. At vero Sisinnius idem Leoni Allatio (*nn*) suspectus est propter aliam illam causam, quod sub illius nomine, ut nos etiam animadvertimus (*oo*), epistola Photii in quodam codice a Baronio inventa fuerit. *Nisi*, subdit tamen prudenter Allatius, *nisi etiam dicamus nomen Sisinnii ab aliis illi epistolae appositum fuisse*. Atqui hoc dicere omnino cogimur. Namque ea in epistola, etiam prout mutila reperta

---

(*nn*) *De Eccl. Occid. atque Orient. perp. consens.* Lib. II. cap. VIII. num. I.

(*oo*) Supr. cap. II. num. 12.

est nomine Sisinnii, quaedam leguntur, quae unice ad Photii tempora pertinent: haec autem scribere minime Sisinnius nisi per quam ineptissime poterat. Exempli gratia conversio Bulgarorum, quae vivo Photio contigerat centum et triginta ferme annis ante Sisinnium, nuperrime evenisse etiam in interpolata epistola dicitur. Cur non haec item, hisque similia mutaverit? Neque enim in hoc Patriarcha Terentianum illud convenit, scilicet *quidvis harum rerum convenit, quae sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus (pp).* Erat Sisinnius, teste Cedreno (*qq*), *magister, vir insignis, et medicae artis peritissimus.* Aliunde autem non constat eum ad schisma fuisse propensum. At vero, ut supra (*rr*) jam indicavimus, constat non indiciis solum, sed etiam factis, aevo illo absque ulla haesitatione et cum Latinis Graecos, et Latinos cum Graecis communicasse. Sed jam supra laudati (*ss*) scriptores Graeci Emmanuel Caleca, Joannes Veccus, Nicetas Ni-

(*pp*) Terent. *Heautont.* Act. V. scen. I.

(*qq*) Tom. II. pag. 702.

(*rr*) Hoc cap. num. 63.

(*ss*) Num. 56. et 57. hoc cap.

caenus, Maximus Margunius, aliique Sisinnium non secus, ac reliquos decessores ejus post Photium, pacem cum Romana Ecclesia tenuisse declaraverunt. In hoc enim utrique scriptores isti, tum qui erant cum Latinis conjuncti, tum qui a Latinorum communione alieni erant, mirabiliter consenserunt; quandoquidem alteri a Sergio, alteri a Cerulario, atque adeo omnes post Sisinnium, non vero antea instauratum schisma testati sunt.

68. Verum oppido falluntur, qui sub Sergio abruptam esse Latinos inter, et Graecos concordiam dicunt. Atque id nobis, ut jam polliciti sumus, mox erit corroborandum. Interim vero, libet animadvertere, quod Sergius renuntiatus Patriarcha sit non antea quidem, sed postea quam Olga, et ejus nepos Volodimirus Christianam amplexi religionem fuerant. Illa namque ante annum 960., hic autem anno 988. sacro latice expiati sunt (*tt*); at vero Sergius creatus est Patriarcha anno 999. Quapropter, etiamsi verum foret Patriarcham istum schisma renovasse, Olga, tamen, et Volodimirus a Graecis

(*tt*) Vid. supr. cap. III. num. 15., et cap. IV. num. 23.

cum Romana Ecclesia copulatis fidem, atque baptismum suscepissent. Praeterea Graeci Episcopi, atque Presbyteri, qui vel una cum Volodimiro (*uu*) vel postea ad annum usque 999. in Russiam venerint, filios sibi in Apostolicae sedis communione similes Christo peperissent. Et quoniam maxima Russorum pars, ut supra diximus (*xx*), nulla pene interjecta mora, exemplum, et jussum Volodimiri sequuta est; nullus relinquitur dubitandi locus, quin Russorum natio, quatenus etiam a Graecis fuit ad Christianam fidem perducta, superaedificata primum fuerit super illam petram, de qua Christus jam dixerat [*yy*]: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

69. Sed videamus, utrum reapse Sergius schisma iteraverit. Schismaticum profecto eum fuisse Baronius (*zz*) credidit, Allatius vero [*aaa*] tametsi recentes Graecos, qui a Romani Pontificis communione secrevisse se Patriarcham il-

(*uu*) Vid. supr. cap. IV. num. 24., et seq.

(*xx*) Cap. IV., et cap. V. in princ.

(*yy*) Matth. cap. XVI. vers. 18.

(*zz*) Ad ann. 999. num. XX.

(*aaa*) Vid. supr. num. 57. hoc cap.

lum blaterant, confutet; tamen parum sibi constans ab eodem ipso Patriarcha non omnem schismatis suspicionem removet. Verum cum Sergius viginti annos sederit, ad primos annos decem quod pertinet, purgatur plene Constantinopolitanus iste Patriarcha testimonio Petri Patriarchae Antiocheni. Sciendum namque, Michaelem Cerularium sub finem anni 1054. litteras ad Petrum misisse, quibus hoc inter alia insertum erat portentosum mendacium (*bbb*): *Nosti enim a tempore sanctae et OEcumenicae sextae Synodi, ac deinceps relationem Papae in sacris diptychis apud nostras videlicet sanctas Ecclesias excisam fuisse, propterea quod Vigilius tunc Romae Papa ad eam Synodum venire noluerit:. . . atque ex eo tempore usque ad praesens abscissum esse Papam a nostra sanctissima et Catholica Ecclesia.* Sextam, non quintam Synodum eam Cerularius nuncupare debebat, quum de Vigilio Papa loqueretur, quo annuente convocata illa a Justiniano est anno 553. Respondet ergo Antiochenus

---

(*bbb*) Ap. Cotelerium *Eccl. Graec. monum.* Tom. II. pag. 140. et seq., et ap. Baron. ad ann. 1054. num. XXXIII.

Patriarcha (ccc): *Ad haec ego quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia praecellunt, quod sub beatae memoriae Patriarcha Antiochiae Domno Joanne, Papa Romae ipse etiam Joannes nominatus* (erat is Joannes XVIII.) *in sacris diptychis referretur. Constantinopolim praeterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus, reperi sub sanctae memoriae Patriarcha Domno Sergio praedictum Papam in sacra Missa cum aliis Patriarchis referri.* Diximus epistolam Patriarchae Constantinopolitani datam fuisse sub finem anni 1054., quia Leonis IX. Romani Pontificis (mortui eodem anno XIII. Kalendas Majas) ut *nuper defuncti* in ea meminit Cerularius. Ponamus itaque Antiochenum Patriarcham statim et e vestigio respondisse, supradicto nimirum anno 1054.; quamquam hoc magis probabile videatur, procrastinatam ab eo aliquatenus responsionem fuisse: si ante annos quinqne et quadraginta Constantinopolim ipse fuerat profectus, illud habebimus necesse omnino concludere, annum hunc incidisse in annum 1009. Fuit autem annus iste Sergii, qui

(ccc) Ap. eumd. Coteler. in cit. Tom. pag. 148., et ap. Baron. ad ann. 1054. num. XL.

creatus fuerat Patriarcha anno 999., ad amussim decimus. Neque vero istiusmodi veritati ullas offundi tenebras posse ex Epitaphio, quod Baronius profert ad illum eumdem annum 1009., jure putandum est. Sequutus Maffaeum Veggium Baronius Joanni XVIII. Romano Pontifici anno eodem demortuo scriptum venditavit Epitaphium quoddam ex veteribus Vaticanae Basilicae monumentis, in quo sequens distichon legebatur:

Nam Graios superans, eois partibus unam,
Schismata pellendo, reddidit Ecclesiam.

Quibus ex verbis reconciliatam inter Latinos, et Graecos concordiam esse cura Joannis XVIII. Baronius argumentatus est. Quum autem id post electionem ipsius Joannis accidisse oportuit, scilicet post annum 1003., sub cujus finem ille fuit summus Pontifex renuntiatus; confici ex adductis verbis omnino deberet, schismati primis annis Sergium studuisse. Verum hoc tandem ariolare est. Caret enim principio illud Epitaphium: quae autem superfuere disticha, nullius Pontificis nomen praeferunt. Sed neque Petrus Mallius, qui saeculo duodecimo jam Epitaphium idem produxerat (*ddd*), factum Joan-

(*ddd*) Vid. *Acta Sanctor.* Bolland. Tom. VII. Junii post initium.

ni XVIII. illud existimavit, contentus ipsum vocare Epitaphium *cujusdam Joannis Papae*. Nemo autem, ut bene Muratorius (*eee*) animadvertit, nemo plane in Ecclesiastica historia Orientis, vel Occidentis de illa reconciliatione meminit. Praeterea Romanus ille Pontifex, cui scriptum est Epitaphium, dicitur in alio versu

Augustis charus, Gentibus, et Tribubus.

Verum haec laus, ut etiam bene idem observat Muratorius, Joanni XVIII. non convenit; sed potius cadit in aliquem Joannem Papam, qui eo tempore vixerit, quo imperatores Graeci suum in Romanos quoque dominatum exercebant.

70. At enim quod prioribus decem annis non est factum, id fieri posterioribus decem annis potuit. Quis autem id fieri potuisse inficiabitur? At nos hoc amplius volumus, ut schisma re ipsa factum postea fuisse ostendatur. Recentioribus enim Graecis opponimus scriptores duos, qui undecimo eodem saeculo exeunte, cujus in anno nono post decimum Sergius obiverat, flo-

(eee) *Annali d' Italia* ad ann. 1009.

ruerunt, nempe Glabrum Rodulphum, et Hugonem Flaviniacensem, Circa annum igitur 1024., quo Joannes XIX. electus fuit Romanus Pontifex, Patriarcham Constantinopolitanum Legatos deprecatoresque ad privilegium quoddam petendum pro Ecclesia sua Romam misisse illi duo scriptores (*fff*) narrant. Ambo autem brevem inserunt epistolam, quae super Graecorum petitione ea ad Joannem ipsum XIX. scripta fuerat a Guillelmo Abbate Monasterii Divionensis sancti Benigni. Quare legationem illam nemo habere ambiguam potest. Quid ergo inde consequitur? sic enim forte hujus nostri argumenti filum posse se quis abrumpere existimabit: non a Patriarcha Sergio, qui anno 1024. non erat in vivis, sed ab ejus successore Eustathio missi Romam Legati illi fuerunt. Est ita sane. Verum aususne fuisset Eustathius oratores Romam legare, qui a sede Apostolica pro Constantinopolitana Ecclesia privilegia peterent, si Ecclesia isthaec, antequam Sergius praedecessor suus

(*fff*) Glabr. Rodulph. *Historiar.* Lib. IV. cap. I. ap. Duchesn. *Histor. Franc. Scriptor.* Tom. I. pag. 40., et Hug. Flaviniac. in *Chron. Virdun.* ap. Labb. *Nov. Biblioth. Manuscript.* Tom. I. pag. 174.

moreretur, ab ejusdem Apostolicae sedis fide et obsequio discessisset? Prius enim quam a Romano Pontifice aliquid Eustathius postularet beneficii gratiaeque causa, praeteritae culpae veniam precari, et impetrare debuisset. Hoc tamen eum fecisse ubinam legimus? Sergium ergo Patriarcham ne decem posterioribus annis quidem schisma redintegrasse, jure recteque ex illa legatione conficitur. Ad summum in eo assentiri recentioribus Graecis tantum possemus, nomina Pontificum Romanorum a Sergio post primos decem annos, atque ad breve tempus dumtaxat, ablata fuisse de sacris diptychis. Dato autem hoc, non id quoque dandum erit, illum tunc in apertum schisma prorupisse. Olim, ut supra nos indicavimus (*ggg*), etiam Nicolaus Mysticus hoc ipsum fecerat; et tamen schisma sub eo non est consummatum.

71. Restant Patriarchae duo, idem scilicet Eustathius, et Alexius, quorum alter anno 1025. alter anno 1043. diem suum obiit. Sed Eustathius legatione illa, quam ipse Romam misit, jam satis superque defenditur. Alexius vero, quum fuerit decessor proximus Michaelis Cerularii, il-

---

(*ggg*) Hoc cap. num. 59.

lorum defenditur testimonio, qui post mortem ejus, sub ipso nempe Cerulario, ortum schisma prodiderunt. Atque inter eos eminet Leo IX. Romanus Pontifex, qui in litteris vel ad Michaelem ipsum (*hhh*), vel ad Constantinum Monomachum imperatorem (*iii*) scriptis rem novam nova praesumptione illum Patriarcham molitum esse significavit. Et novum sane novum omnino in Constantinopolitana Ecclesia illud Michaelis Cerularii schisma fuisse oportuit; quum non imperator Constantinus solum, verum etiam cives quamplurimi fideles tunc Apostolicae sedi remanserint. Testantur hoc Legati ejusdem Leonis IX., qui Constantinopolim missi fuerant ad schisma averruncandum. Namque in charta excommunicationis latae adversus Michaelem Patriarcham, quam sub oculis Cleri, et populi posuerunt super altare maximum Ecclesiae sanctae Sophiae haec praefati sunt inter cetera (*kkk*): *Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi Impera-*

(*hhh*) Tom. XI. *Concil.* Labb. Epist. I. col. 1319. et seqq., et Epist. VI. col. 1347. et seqq. edit. Venet. Coleti.

(*iii*) Eod. Tom. Epist. VII. col. 1350. et seqq.

(*kkk*) Eod. Tom. XI. *Concil.* col. 1361.

tores, Clerus, Senatus, et Populus hujus Constantinopolitanae urbis, et omnis Ecclesiae Catholicae, nos hic persensisse magnum, unde vehementer in Domino gaudeamus, bonum, et maximum, unde miserabiliter contristemur, malum. Nam quantum ad columnas imperii, et ejus honoratos, atque cives sapientes, Christianissima atque orthodoxa est civitas: quantum autem ad Michaelem abusive dictum Patriarcham, et ejus stultitiae fautores, nimia zizania haereseon quotidie seminantur in medio ejus.

72. Verum si Michaelis Cerularii schisma novum tunc temporis, et nova conflatum praesumptione visum est; nedum Alexius, qui eum proxime, ceteri etiam, qui remote eum praecesserant, Constantinopolitani Patriarchae omni pariter suspicione schismatis debent absolvi. Perperam profecto labe ista vel Photius, vel universi praedecessores Photii liberarentur. Sed Patriarchas, qui spatio annorum illo centum ferme et sexaginta, quod interfluit inter Photium et Michaelem Cerularium, ac multo magis qui post decimi saeculi dimidium usque ad ipsius Michaelis tempora, illo nempe annorum spatio, quo ab Olga primum, deinde a nepote ejus Ve-

lodimiro, et Russis plerisque omnibus suscepta Christi fides est, Constantinopolitanam rexerunt Ecclesiam, Patriarchas hos omnes Apostolicae sedi fuisse devotos, persuasio illa Leonis IX.i, et aliorum de novitate schismatis ab eodem Cerulario facti demonstrat. Atqui hoc demonstrare nobis in isto capite erat propositum, videlicet non Latinos modo, de quibus nemo dubitavit unquam, sed etiam Graecos, contra quam aliqui senserant, illo tempore, quo Russi fuerant ab utrisque Christianam fidem edocti, Petri Cathedrae deditos et obstrictos fuisse. Hoc autem nos postquam attigimus generatim, Constantinopolitanos eorumdem temporum Patriarchas sigillatim percensuimus, et nihilo minus tamen foedatum schismate ex eis potuimus reperire neminem. Nec vero rem istam perfunctorie tractavimus vel oscitanter: usi enim sumus veteribus, selectisque monumentis, quorum loca modo indicavimus tantum, modo etiam, immo saepe, in medium proposuimus; quae certe ut aliquis videbit, statim plane intelliget, nihil nos obscurum, nihil ineptum, nihil quod ad rem non faceret, attulisse. Quapropter si tota oratio nostra certis hisce firmisque auctoritatibus omnem sibi fidem confirmat, quem non

coget ea, quae diximus, approbare? Porro ea, quae dicta sunt, id omnes assentire cogunt, Russos a Graecis etiam, nedum a Latinis, Christo fuisse in sedis Apostolicae communione genitos.

CAPUT VII.

Quum circa undecimi saeculi dimidium erupit Michaelis Cerularii schisma, male Graeci, et Russi inter se animati erant. Tum Hilarion, inscio Constantinopolitano Patriarcha, in Metropolitam Kioviensem electus fuit. Ante, et post schisma illud cum multis Principibus Latinis sanguinem, genusque suum Russi Principes miscuerunt. Maxime vero eodem saeculo Russorum erga Romanam sedem devotio emicuit, crevitque. Legatis Leonis IX., qui Constantinopoli Patriarcham Michaelem Cerularium excommunicationis fulmine percusserant, tutum perfugium Russi praebuere. Izaslaus nepos Volodimiri Russiae regnum sancto Petro obtulit. Afferuntur litterae sancti Gregorii VII. ea de re ad Izaslaum scriptae. Festum translationis reliquiarum sancti Nicolai ab Urbano II. institutum, quod Graeci non receperunt, a Russis suscipitur. Agnes Henrici IV. uxor post absolutionem ab eodem Urbano impetratam honorifice accepta a Russis est. Post mortem Hilarionis licet Graecis iterum Russi se submi-

serint, schismatis tamen participes illico facti non sunt. Ergo concluditur, undecimo etiam saeculo exeunte, in sedis Romanae communione a Russis perseveratum esse.

73. Mansisse autem Russos in communione sedis Apostolicae usque ad Michaelis Cerularii tempora, quoniam quidem et Graeci in ea manserint, non est, cur dubitemus. At commode opportuneque accidit, ut antea, quam schisma Cerularii consummatum esset, Metropolitae Kiovienses, qui assumi consueverant a Patriarchis Constantinopoleos, jugum istud dejecissent, Eruditus Karamsinus, cujus Historia nos valde sumus adjuti, sic ea de re loquitur (a): *Graeci, qui in Russiam intulerant religionem suam, et recenti huic Ecclesiae Pastores dederant, spe ea tenebantur, fore ut decursu temporis civilem dominationem aliquam in patriam nostram adipiscerentur: sed Jaroslaus* (filius Volodimiri, atque successor), *qui longe aberat, ut ad hoc consilium flecteretur, prae-*

(a) Volum. II. cap. II.

veniens illud, anno sui regni primo, [aerae vulgaris 1016.] *dum Novogorodi degebat, is ipse ad istius urbis Episcopatum nominavit Lucam Iidiatam. Anno autem* 1051. *Kioviam Episcopos congregavit ad eligendum Metropolitam natione Ruthenum; et, Constantinopolitano Patriarcha haudquaquam interpellato, delegit Hilarionem virum doctrina, atque virtute ornatum, Presbyterum Ecclesiae sanctorum Apostolorum in pago Berestovi.* Quae de Hilarionis electione refert Karamsinus, ea in Chronicis praemissis Historiae Lomonosovi typis mandatae Petropoli anno 1804. sic breviter perstringuntur: *Anno* 1016. *coepit regnare Jaroslaus filius Volodimiri. Hic statuit Hilarionem Metropolitam, nec misit Constantinopolim ad Patriarcham.* Idem ipsum antea prodiderant Ignatius Kulczynskius in appendice ad memoratum superius (*b*) *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, et Albertus Wiiukus Koialovviczius in *Miscellaneis Lituaniae* editis Vilnae anno 1650.: licet in eo falsi ambo videantur, quod Hilarionem dixerint creatum Metropolitam fuisse, post-

(*b*) Cap. IV. num. 26.

quam rumor de schismate Cerularii in Russiam fuerat perlatus. Neque enim anno 1051. (quo isti quoque duo scriptores electum eum esse consentiunt), sed postea, anno scilicet 1053 denique schisma illud erupit (c). Atque iccirco nos ante Cerularii schisma Ruthenos Metropolitas ab illo se subtraxisse jugo affirmavimus. Ceterum ad electionem ipsam Hilarionis quod pertinet, notatione digna sunt Koislovviczii verba: *Hic vero, uti expresse meminerunt Annales Russorum et Moschorum, ad Patriarcham Constantinopolitanum non recurrit*: per quae datur intelligi, non ex incertis traditionibus, sed ex veteribus monumentis depromptam istam narratiunculam esse. Sed nos jam Nestoris Monachi fidem, quae utpote hominis ante Hilarionis obitum nati summa apud omnes esse debet, possumus interponere. Is enim ad annum 1051. haec habet: *Constituit Jaroslaus Hilarionem Metropolitam Ruthenum in sancta Sophia, congregatis Episcopis*. Ad Kioviam erat isthaec Ecclesia, ut paulo ante Nestor idem significaverat. Ad Kioviam igitur, non Constantinopoli

(c) Vid. supr. cap. VI. num. 55.

Metropolita renuntiatus Hilarion est; nec vero assumptus a Constantinopolitano Patriarcha, sed a Russiae Episcopis nova et inusitata ratione electus.

74. Ac nullam certe movere res haec admirationem potest. Graeci enim, et Russi male tunc animati invicem erant propter bellum, quod anno circiter 1043. Michaelis Cerularii Patriarchae primo inter ipsos exarserat: hoc autem bello variis casibus, magna clade, ac dedecore pari utrique et victores fuerant, et victi. Describunt hujusce belli eventa Cedrenus (*d*), Zonaras (*e*), Dlugossus (*f*).

75. At e contrario Russi aetate illa non solum amici, verum etiam amatores Latinorum erant; usque adeo ut cum multis Principibus Latinis affinitate et sanguinis conjunctione sese Russi Principes devinxerint. Namque Casimirus Poloniae dux uxorem habuit Mariam Dobrogevam Jaroslai sororem; hujus autem filius Izaslaus sororem Casimiri uxorem duxit. Porro

(*d*) Tom. II. pag. 758.
(e) *Annal.* Lib. XVII. cap. XXIV.
(*f*) *Hist. Polon.* Lib. III. ad ann. 1040.

filius Izaslai [Volodimirus Monomachus primis nuptiis Gydam Haroldi Angliae regis filiam secum conjunxit. Praeterea ejusdem Izaslai sorores, filiae vero Jaroslai, Elisabetha, Anna, et Anastasia, nuptae sunt prima Haraldo regi Norvegiae, altera Henrico I. Galliae regi, tertia Andreae regi Hungariae. Ad haec Boleslaus II., qui primus ex Polonorum principibus rex dictus est, et filius ejus duas quoque filias principum Russiae ambo sibi matrimonio acceperunt. Denique imperator Henricus IV. uxorem assumpsit Agnetem filiam cujusdam Russorum principis (fortasse Vsevolodi fratris Izaslai), quae Margravii Stadensis vidua erat. Atque haec est illa Henrici imperatoris uxor, quam sub Adelaidis vel sub Praxedis nomine invenimus apud Latinos Scriptores *(g)*. Porro ista, atque alia id genus matrimonia, ut in Karamsini Historia videre est *(h)*, ante vel post undecimi saeculi dimidium contracta fuerunt. Quamobrem

---

(*g*) Vid. Baron. ad ann. 1093. num. IV., ad ann. 1094. num. III., et ad ann. 1095. num. II. ac VII., atque Sigismundi Calles *Annal. Ecclesiast. Germaniae* Tom. V. Lib. X. num. XIII. et LIII.

(*h*) Volum. II. cap. II. IV. V. et VII.

illud hae nuptiae perspicuum faciunt, Russos eo tempore, quo alienati erant a Graecis, Latinos sibi arctissimis vinculis adjunxisse.

76. Sed eodem saeculo undecimo in id Russi maxime studuerunt, ut cum Romana Ecclesia communionem servarent, firmarentque. Jam ante Michaelis Cerularii schisma Jaroslaus aliquem a Benedicto VIII. Episcopum poposcerat, atque anno 1021. ab eo obtinuerat Episcopum Alexium natione Bulgarum admodum in Graeca, atque Slava lingua versatum. Meminit hujus rei Frisius apud Karamsinum [i] in opere, quod inscripsit: *De Episcopatu Kioviensi Commentatio*. Orlovium, Nicanorem, atque Cassianum, qui antea *de initiis religionis Christianae in Russia* scripserant, Frisius testes in rem istam dedit. Neque is contra, ne leviter quidem a Karamsino carpitur. Statim vero ut rebellionem Cerularius fecit in sedem Romanam, aliud Russi, atque illud non leve argumentum praebuerunt, quo tunc amicitiam cum eadem Romana sede illos coluisse mirabili modo innotuit. Quum ad aures Leonis IX. venere turbulenti motus ejus-

(i) Volum. II. not. 33.

dem Patriarchae, tres ab illo Pontifice Legati missi sunt Constantinopolim, Cardinalis nempe Humbertus Episcopus Silvae Candidae, ac Petrus Archiepiscopus Amalphitanus, et Fridericus tunc Diaconus et Cancellarius, deinde Papa sub nomine Stephani X. Habetur (k) *brevis et succincta commemoratio eorum, quae gesserunt Apocrisiarii sanctae Romanae et Apostolicae sedis in regia urbe*, quam, teste Sigeberto Gemplacensi (*l*), Humbertus ipse Legatorum primus exposuit. Protulimus nos quoque locum quemdam ex ea superius (*m*). Ergo postquam de charta excommunicationis in Michaelem Cerularium latae super altare maximum Ecclesiae sanctae Sophiae a Legatis posita Humbertus meminit, laetos illos deinde narrat Constantinopoli digressos esse; ac postea ita prosequitur: *Sed nimia instantia precum Michaelis spondentis tunc demum se conflicturum cum eis imperator* (Constantinus Monomachus) *compulsus . . . . eos revocavit . . . . Quos prae-*

(*k*) Tom. XI. *Concil.* Labb. col. 60. et seqq. edit. Ven. Coleti.

(*l*) ad ann. 1054.

(*m*) Cap. VI. num. 71.

fatus haeresiarcha comperiens rediisse, quasi ad concilium conabatur adducere in Ecclesiam sanctae Sophiae . . . . , ut ostensa charta illorum, quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem a populo. Quod prudens imperator praecavens, noluit haberi aliquod concilium, nisi et ipse adesset praesens. Cumque in hoc ei omnimodis Michael contradiceret, jussit Augustus ipsos nuncios confestim arripere iter. Quod et factum est. Igitur in viam se Legati iterum dedere. *Porro*, ut Humbertus subjicit, *vesanus Michael dolens suas non procedere insidias, concitavit imperatori seditionem vulgi maximam, velut nunciis cooperata fuerit ejus voluntas. Unde imperator coactus interpretes Latinorum, Paulum videlicet, ac filium ejus Smaragdum, caesos et detentos Michaeli tradidit: sicque tumultus ille conquievit. Verum imperator post nuncios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis veracissimum a civitate Russorum sibi remissum accepit civibusque: ac tandem Michaelem falsasse chartam legatorum comperit atque convicit*. Itaque imperator Constantinus Monomachus, ut germanum exemplar excommunicationis (quoniam illud vitiaverat interpretan-

do Cerularius) a Legatis Leonis IX. reciperet, post eos misit Legatos suos. Hi autem in *civitate Russorum* acceperunt *exemplar excommunicationis veracissimum:* quod quidem imperatori, et civibus Constantinopolitanis a Legatis ipsis Romani Pontificis remissum fuit. Jamvero illud hac narratione patet, Legatos Graeci imperatoris, qui sequuti fuerant Legatos Leonis Papae, eos demum in *civitate*, seu regione *Russorum* adinvenisse. Sed quae amabo Legatos Pontificis causa impulit, ut reverti Romam jussi a recta via recederent, atque in Russiam illico proficiscerentur? Antea, quam Legati abscederent Constantinopoli, parum abfuit, quin Michaelis Cerularii insidiis *obruerentur ibidem a populo*: postea vero, quam discesserunt, idem Michael *concitavit imperatori seditionem vulgi maximam, velut Nunciis cooperata fuerit ejus voluntas*. Ut ergo istas Graecorum tumultuationes commotas a Cerulario effugerent atque devitarent Legati Leonis IX., cito in Russiam cucurrerunt. Magnum enim in discrimen adducti apud Graecos, promptum aliquod et paratum asylum quaerebant: hoc vero alibi melius, quam in regione Russorum tum inveniri non posse arbitrati sunt. Ac minime eos spes fefellit. Namque ita securi fu-

erunt in Russia, ut ipsis inde Constantinopolim excommunicationis chartam per imperatoris Legatos transmittere licitum fuerit. Sed poterant ne aliud Russi argumentum subministrare, quo plus inesset roboris ad persuadendum, unitos se cum Apostolica sede fuisse, quam, toto orbe spectante, Leonis IX. Legatis, qui Constantinopoli Patriarcham ipsum Michaelem Cerularium fulmine excommunicationis percusserant, tutum perfugium et portum praebere?

77. Attamen quod hactenus dictum est, sequentium fortasse comparatione vilescit. Qualis enim et quanta Russorum devotio fuerit erga sedem Apostolicam, postquam eruperat schisma Cerularii, ex litteris maxime sancti Gregorii VII. ad regem Russorum datis anno 1075. planum atque manifestum est. Izaslaus filius Jaroslai, et Volodimiri nepos, qui Russiae regnum tenuit ab anno 1054. ad annum 1078., fuit ille rex, qui litteras a Gregorio VII. accepit. Miserat Romam filium suum Izaslaus, ut beato Petro offerret regnum Russiae, ab eoque illud per Pontificem, qui tunc in ejusdem beati Petri Cathedra sedebat, rursum dono reciperet. Annuit hisce votis sanctus Gregorius VII.; atque Izaslao, quem ex nomine ei in baptismate indito vocavit De-

metrium, tale responsum dedit *(n)*. *Gregorius Episcopus servus servorum Dei Demetrio regi Russorum, et reginae uxori ejus salutem, et Apostolicam benedictionem. Filius vester limina Apostolorum visitans ad nos venit, et quod regnum illud dono sancti Petri per manus nostras vellet obtinere, eidem beato Petro Apostolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit, indubitanter asseverans, illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si Apostolicae auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cujus votis et petitionibus, quia justa videbantur tum ex consensu vestro, tum ex devotione poscentis, tandem assensum praebuimus, et regni vestri gubernacula sibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio charitatis, ut beatus Petrus vos, et regnum vestrum, omniaque vestra bona, sua apud Deum intercessione custodiat, et cum omni pace, honore quoque et gloria idem regnum usque in finem vitae vestrae tenere vos faciat, et hujus mili-*

(*n*) Ap. Baron. ad ann. 1075. num. XXVII. et seqq., ac in Tom. XII. *Concil.* Labb. col. 355. edit. Ven. Coleti.

tiae finito cursu, impetret vobis apud supernum Regem gloriam sempiternam. Quin etiam nos paratissimos esse noverit vestrae nobilitatis serenitas, ut ad quaecumque justa negotia hujus Sedis auctoritatem pro sua necessitate petierit, procul dubio continuo petitionum suarum consequatur effectum. Praeterea ut haec et alia multa, quae litteris non continentur, cordibus vestris arctius infigantur, misimus hos Nuntios nostros, quorum unus vester notus est, et fidus amicus; qui et ea, quae in litteris sunt, diligenter vobis exponent, et quae minus sunt, viva voce explebunt. Quibus pro reverentia beati Petri, cujus Legati sunt, vos mites et affabiles praebeatis: et quidquid vobis dixerint ex parte nostra, patienter audiatis, atque indubitanter credatis: et quae ibi ex auctoritate Apostolicae sedis negotia tractare voluerint, et statuere, nullorum malo ingenio turbari permittatis, sed potius eos sincera charitate favendo juvetis. Omnipotens Deus mentes vestras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos transire ad gloriam sempiternam. Data Romae XV. Kalendas Maii indictione decimatertia: hoc est anno 1075.

78. Piget Kulczynskium refutare, qui (*o*) alium ab Izaslao putans Demetrium illum, ad quem scripsit sanctus Gregorius VII., ipsum non Kioviae, seu summum Russiae principem, sed provinciarum quarumdam ducem fuisse, nimirum *Haliciae Premisliae, et fortassis etiam Voliniae* opinatus est. Fugit enim Kulczynskium duplex Izaslao nomen fuisse, Izaslai nempe atque Demetrii. Acceperat hoc alterum nomen in baptismate Izaslaus, quemadmodum et Volodimirus Olgae nepos (*p*), et Volodimirus Monomachus (*q*) filius ejusdem Izaslai uterque in baptismate etiam nomen Basilii sumpsit. Recentiores illi duo Historici, quibus antiqua Russiae monumenta erant in promptu, Levesquius, et Karamsinus, quum dicere de Izaslai regno incipiunt, alter hunc ponit titulum: *Magnus princeps Izaslaus in baptismo vocatus Demetrius:* alter autem istum: *Izaslaus I. Jaroslavitchius* (idest filius Jaroslai) *notus in Europa sub nomine Demetrii.* Profecto Lambertus Schafnabur-

(*o*) Append. ad *Specim. Eccl. Ruthen.* pag. 112.

(*p*) Vid. supr. cap. IV. num. 23.

(*q*) Karams. Volum. II. cap. VII.

gensis *hujus temporis rerum gestarum inspector, et scriptor* (*r*) summum Russiae principem, non vero ducem quarumdam provinciarum Demetrium ostendit. De hoc enim rege ad annum 1075. verba faciens [*s*] inquit: *Occurrit ei* (Henrico IV.) *Ruzenorum rex Demetrius nomine deferens ei inaestimabiles divitias,... petiitque, ut auxilio sibi foret contra fratrem suum, qui se per vim regno expulsisset, et regnum tyrannica immanitate occupasset.* Revera, ut a Nestore discimus, Svatoslaus frater Izaslai tum, expulso fratre, Kioviam tenebat: quam postea anno 1077. Izaslaus idem recuperavit (*t*). Sedes autem summorum Russiae principum Kiovia erat illo tempore. Quocirca id patet omnino Demetrium Russorum regem apud Lambertum Schafnaburgensem non alium esse, quam Izaslaum. At sancti Gregorii VII. epistola, eodem illo anno 1075. data, inscripta est: *Demetrio regi Russorum*: ea igitur scripta ad Izaslaum est. Praeterea in litteris etiam eodem anno paucis post diebus, septimo nempe Kalen-

(*r*) Baron. ad ann. 1074. num. XXXV.

(*s*) Inter *Script. Rer. Germanic.* Pistor. Tom. I. pag. 380.

(*t*) Vid. Karams. Volum. II. cap. IV.

dās Maii, ad Boleslaum Polonorum ducem missis sanctus Gregorius VII. de rege Russorum, ejus tamen omisso nomine, mentionem fecit. Ita namque in his litteris loquutus est (*u*): *Inter omnia servanda vobis est charitas, quam (quod inviti dicimus) in pecunia, quam regi Russorum abstulistis, violasse videmini. Quapropter condolentes vobis, multum vos rogamus et admonemus, ut pro amore Dei, et sancti Petri quidquid sibi a vobis, vel vestris ablatum est, restitui faciatis.* Porro apud Scriptores rerum Ruthenicarum id nihil dubitationis habet, Russorum scilicet regem hunc, de quo meminit Gregorius VII. in litteris ad Boleslaum, illum eumdem regem esse, cui paucis ante diebus idem Pontifex epistolam superius a nobis exscriptam dederat. Sed neque hoc obnoxium ulli dubitationi est, Izaslaum esse illum regem, pro quo ad Polonorum ducem Boleslaum scripsit Gregorius VII. Spoliatus enim paulo antea thesauro suo a Polonis fuerat rex Izaslaus. Testatur hoc Nestor ad annum 1073.: *Izaslaus profectus est ad Polonos cum opibus ingentibus . . . At om-*

(*u*) Tom. XII. *Concil.* Labb. col. 354. cit. edit.

nia abstulerunt ei Poloni, et ostenderunt ei viam abeundi.

79. Ex occasione illius epistolae, quae ad Izaslaum Russorum regem missa est, Levesquius, et Karamsinus acerbe de sancti Gregorii VII. fama loquuntur. Uterque scilicet libros tantummodo obtrectatorum honoris istius Pontificis, non simul apologias quoque exaratas a defensoribus ejus pervolutaverunt. Nihilominus quod spectat ad quaestionem nostram, tum Levesquius, tum Karamsinus fatentur Izaslaum voluntate sua Romam filium misisse, qui deditionem sui regni beato Petro faceret. Quod certe magnam fuisse tunc temporis devotionem Russorum pro Apostolica sede demonstrat luculenter.

80. Sed mirum quantum devotio haec post illam deditionem crevit. Anno 1087., ut Sigebertus Gemplacensis illius aevi auctor (*x*), aliique tradunt, sancti Nicolai Myrensis Episcopi corpus Myra Barium translatum est. Urbanus II., qui sequenti anno renuntiatus fuit Romanus Pontifex, translationem eam quotannis, ut rei gestae perenne extaret monumentum, recoli in ante diem septimum idus Maii Apostolica aucto-

(*x*) Ad eumd. ann. 1087.

ritate mandavit. Istiusmodi praecepto non paruere Graeci: at vero Russi dicto audientes atque obedientes fuerunt. Ephremus namque, qui anno 1092. Metropolita Kioviensis electus est, non modo istius translationis festum suscepit, verum etiam, ut in perpetuum illud in Russia celebraretur, instituit. Haec per Koialovviczium [y] edocti sumus. Sed jam fasti Ruthenici sub eadem die nona Maii apud Kulczynskium *(z)*, et Assemanum *(aa)*, alii solum quidem Nicolai nomen habent, alii vero ipsam quoque translationis historiam describunt. Neque id praeteriit Karamsinus: ac licet ex illis Ruthenis sit, qui extra communionem Ecclesiae Romanae vivunt, ingenuitate sua tamen illud et ipse, quod nos cupimus, inde concludit. Namque de Metropolita Ephremo verba faciens, haec ait *(bb)*: *Iste Metropolita instituit festum quoddam nona Maii die celebrandum ob translationem reliquiarum sancti Nicolai e Lycia Barium urbem Italiae. Festum hoc Occidentalis Ecclesiae proprium*

(*y*) In opere cit. supr. num. 73. hoc cap.

(*z*) *Specim. Eccl. Ruthen.* pag. 81. et seq.

(*aa*) *Kal. Eccl. Univ.* Tom. IV. pag. 320. et seqq.

(*bb*) Volum. II. cap. V.

est, quod quidem Graeci recipere noluerunt: id autem evincit, nos tunc sociabilem habuisse commercium cum Roma. Atqui id omnino est, quod nos volumus inferre. Ne quis vero silentium Nestoris objiciat, pergit Karamsinus: *Nestor tacet; sed quidam scriptor annalium, qui medio aevo vixit, testatur Episcopum quemdam nomine Theodorum missum fuisse ad magnum principem* (Vsevolodum) *ab Urbano II. anno* 1091.

81. Sub finem igitur saeculi undecimi Russorum pro Romana Ecclesia devotio nedum perdurabat adhuc, creverat potius mirum in modum. Ad nutum enim Apostolicae sedis tunc Russi ita erant parati, ut illius jussis tametsi Graeci non obedirent, ipsi tamen obsecundarent. Hinc eodem tempore Agnes, seu Adelais aut Praxedes, ut alii eam vocant, uxor Henrici IV. imperatoris (*cc*) postquam a marito discesserat, quum judicio se submisisset Latinorum Episcoporum, et Romani Pontificis Urbani II., atque exinde victrix abiisset, a Russis, ubi reversa in Russiam est, summa benevolentia, summoque

---

(cc) Vid. supr. num. 75. hoc cap.

honore excepta est. Filia cujusdam Russorum principis, fortasse Vsevolodi, Agnes erat, ut nos supra (*dd*) indicavimus: ab Henrico autem imperatore, cum quo iniverat secundas nuptias, per quam indignissime habita fuit (*ee*). Quum ergo e carcere, in quem Veronae fuerat detrusa, aufugisset, ad Synodum Constantiae anno 1094. congregatam, iterumque ad Synodum anno 1095. congregatam Placentiae, cui praesedit ipse Pontifex Urbanus II., gravissimas de marito suo querimonias pertulit. De ambabus Synodis Bertoldus Presbyter Constantiensis illius aevi auctor consulendus est (*ff*). Nos ea solum, quae circa Agnetis causam in Synodo Placentina evenisse auctor idem prodidit, hic describimus. *In hac Synodo*, Bertoldus inquit, *Praxedis regina, jamdudum a Heinrico separata, super maritum suum Domino Apostolico, et sanctae Synodo conquesta est de inauditis fornicationum spurcitiis, quas apud maritum passa est. Cujus querimoniam Dominus Papa cum sancta Synodo satis misericorditer suscepit, eo quod*

(*dd*) Ibid.

(ee) Vid. Baron. ad ann. 1093. num. IV. ibique Pagium.

(*ff*) *Chron.* ad ann. 1094. et 1095.

ipsam tantas spurcitias non tam commisisse, quam invitam pertulisse pro certo cognoverit. Unde et de poenitentia pro hujusmodi flagitiis injungenda illam clementer absolvit, quae et peccatum suum sponte, et publice confiteri non erubuit. Itaque post absolutionem sibi ab Urbano II. in Placentina Synodo impertitam Agnes in Russiam redivit. At vero Russi huic judicio Pontificis Romani, et Episcoporum Latinorum quasi se conformantes nedum humanissime acceperunt eam, Monasterii quoque, ubi deinde religiosam vitam est professa, regimini atque administrationi praefecerunt. Clarum hac de re Dodechinus (*gg*), et Albertus Abbas Stadensis (*hh*) testimonium dixerunt, ille sub finem saeculi duodecimi, hic circa decimi tertii dimidium. His enim primum narratis, quae modo nos attigimus, ita ad annum 1093. Dodechinus loquutus est: *Regina autem reversa est in regionem suam, et ingressa monasterium facta est Abbatissa, ut quidam dicunt.* Quod plane Albertus pro comperto habuit; scripsit enim: *Regina vero reversa est in Ruciam, et*

(*gg*) *Append. ad Mariani Scoti Chron.* ad ann. 1093.
(*hh*) *Chron.* post ann. 1093.

monasterio se mancipavit, et facta est tandem Abbatissa.

82. Atque circa undecimi saeculi finem haec evenerunt. Illud autem haec probe demonstrant, nimirum pestilens Michaelis Cerularii schisma, quod natum erat sub dimidio ejusdem saeculi, Russos necdum infecisse. Et sane quamvis post Hilarionis mortem, qui, ut dictum est supra (*ii*), inscio quondam Patriarcha Constantinopolitano electus fuerat, mos iterum invaluit, ut Kiovienses Metropolitae a Graecis assumerentur, mitterenturque (kk); neutiquam tamen propterea Russi participes repente ejusdem schismatis facti sunt. Incidit mors Hilarionis in annum plus minus 1070. Izaslao regnante, illo nempe Izaslao, qui paucis post annis Apostolorum Principi regnum Russiae obtulit. Jamvero praeterquamquod isthaec deditio certissimum unionis indicium est, epistola, qua responsum Izaslao dedit super hac re sanctus Gregorius VII., nullam prorsus de Russorum schismate suspicionem excitat. Totus immo epistolae contextus Russos obsequio et observantia in Cathedram Petri

(*ii*) Num. 73. hoc cap.

(*kk*) Vid. Karams. Volum. II. cap. IV. in fin.

cum Catholicis omnibus tum certasse insinuat. Non is autem erat Gregorius VII., qui cum schismaticis quasi per dissimulationem ageret, iisque adulatoria lenitate blandiretur.

83. Ergo si post Hilarionis mortem in potestatem denuo Patriarcharum Constantinopoleos Russi venere, salva illa devotione hoc factum est, qua apud eos soli Ecclesiae Romanae suprema potestas vindicabatur. Neque vero tum obstitisse Graecorum schisma visum est. Sopierat enim illud quodammodo Michaelis Cerularii expulsio, et mors anno 1059. Postea sane, anno videlicet 1071. Alexander II. Romanus Pontifex misit Constantinopolim Petrum Anagniae Episcopum, qui apud imperatorem Michaelem Ducam Legati officio fungeretur. Mansit ibi Petrus annum unum, usquedum vixit Alexander. Hujus autem successor sanctus Gregorius VII. anno 1078. a fidelium communione disjunxit Nicephorum Botoniatam, qui, relegato in Monasterium Michaele Duca, imperium tyrannice usurpaverat. De legatione Petri Anagnini Episcopi testem habemus coaevum illius vitae scriptorem Brunonem Episcopum Signinum (*ll*): de

(*ll*) Ap. Baron. ad ann. 1071. num. XXIII.

sententia vero lata in Nicephorum Acta Synodi Romanae V. inter Concilia a Gregorio VII. celebrata consuli possunt (*mm*). Praeterea anno 1089., ,,ut Bertoldus Constantiensis loquitur (*nn*), *Dominus Papa* (Urbanus II.) *Constantinopolitanum Imperatorem ab excommunicatione per Legatos suos absolvit*, scilicet Alexium Comnenum, qui, pulso Nicephoro, anno 1080. imperium obtinuerat. Anno autem 1095. imperator ipse Alexius Comnenus suos ad Urbanum II., atque ad universam Synodum Placentinam Legatos misit, ut opem imploraret adversus Saracenos. Nec vero illi accepti parum liberaliter vel a Pontifice, vel a Synodo fuerunt. Ita enim de ea legatione scribit laudatus Bertoldus (*oo*). *Item legatio Constantinopolitani imprimis ad hanc Synodum* (Placentinam) *pervenit*, *qui Dominum Papam*, *omnesque Christi fideles suppliciter imploravit*, *ut aliquod auxilium sibi contra Paganos pro defensione sanctae Ecclesiae conferrent*, *quam Pagani jam*

(*mm*) Ap. eumd. Baron. ad ann. 1078. num. XIX. et seq., ac in Tom. XII. *Concil.* Labb. col. 619. cit. edit.

(*nn*) *Chron.* ad ann. 1089.

(*oo*) Ad ann. 1095.

pene in illis partibus deleverant, qui partes illas usque ad muros Constantinopolitanae civitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium Dominus Papa multos incitavit, ut etiam jurejurando promitterent, se illuc, Deo annuente, ituros, et eidem imperatori contra Paganos pro posse suo fidelissimum adjutorium collaturos. Quibus ex rebus facile intelligitur, Romanos Pontifices post expulsionem et mortem Michaelis Cerularii eodem loco Constantinopolitanam Ecclesiam, quo ceteras Ecclesias sibi devotas, habuisse. Quidni ergo tum non fuisset Russis licitum, Patriarchis, qui Ecclesiae illi praeerant, se submittere?

84. Certe sub undecimi saeculi finem Russi licet conjuncti essent cum Graecis, tamen et cum Latinis quoque amicitiam colebant, atque Pontificum Romanorum voluntati obsequebantur. Etenim Agnes, postquam absolutionem ab Urbano II. impetravit in Concilio Latinorum Episcoporum, honorifice suscepta a Russis est. Prompto insuper lubentique animo Russi, Metropolita Ephremo, ex ejusdem Urbani mandato receperunt festum translationis reliquiarum sancti Nicolai. Hoc autem Karamsinus etiam agnovit, ut nos jam animadvertimus. Attamen illud con-

tra is quoque insinuat, ante Ephremi tempus, Joanne quodam Metropolita, qui obiit anno 1089., Russos cum Graecis stetisse sic, ut Latinos simul iidem refugere atque odisse viderentur. Namque refert (*pp*) extare *Canonem Ecclesiasticum* Metropolitae Joanni tributum, *in quo acriter ille reprehendit consuetudinem, quam principes Russi tenebant, collocandi in matrimonium filias suas principibus Romanae religionis.* Sed apud eumdem Karamsinum postea (*qq*) multa reperimus exempla, quibus duodecimo etiam saeculo perseveratum esse a Russis principibus in ea consuetudine comperimus. Iste praeterea Canon Ecclesiasticus apud Herbesteinium (*rr*) sequitur epistolam, quam Kioviensis quidam Metropolita Joannes pariter nuncupatus scripserat ad Pontificem Romanum, quem Karamsinus, aliique asserunt fuisse Alexandrum III. Porro si unus idemque Metropolita esset Ecclesiastici Canonis, et epistolae illius auctor, is post duodecimi saeculi dimidium,

(*pp*) Volum. II. cap. V.

(*qq*) Eod. Volum. II. cap. V. VII. X. et XII.

(*rr*) *Rer. Moscovitic. Comment.* pag. 50. et seqq.

non prope finem undecimi mortuus fuisset, nimirum post electionem Alexandri III., quae anno 1159. contigit. Verum de auctore illius epistolae quaestione omissa, nos haud possumus concedere Canonem Ecclesiasticum opus fuisse alicujus ex Kioviensibus Metropolitis, qui undecimo vel duodecimo saeculo vixerint. Illo enim in Canone praeter alios populos Tartari quoque veluti jam Russis noti commemorantur: quum tamen Karamsinus ipse, ceterique doceant saeculo demum tertio decimo in Russia Tartaros innotuisse (*ss*). Scimus Levesquium (*tt*) opinari, coepisse Tartaros molestiam Russis exhibere usque a saeculo undecimo: sed hic Tartaros incaute cum Polouciis confundit. Ambos enim alii Scriptores ita distinguunt, ut Poloucios juxta Russiam, longe vero ab illa Tartaros ponant. Itaque idem ipse Karamsinus, qui mentionem de illo Ecclesiastico Canone moverat, ubi postea (*uu*) loquitur de Tartaris, primo in regionem Polonciorum eos tradit invasisse, deinde vero eorumdem adductis Polou-

(*ss*) Vid. Karams. Volum. III. cap. VIII.

(*tt*) *Histoire de Russie* ad ann. 1059. et 1060.

(*uu*) Loc. cit.

ciorum verbis, quibus certiores Russos fecerant de incursionibus Tartarorum, scilicet: *Isti occuparunt regionem nostram, cras vestram occupabunt*: subdit: *His vocibus Russi infremuerunt, ita ut cum stupore alter alterum percontaretur, quinam essent illi extranei ad illud tempus ignoti. Tormanos eos alii, alii vero Pecegniegos, at communiter alii Tartaros vocabant.* Haec autem sub Georgio, qui regnavit ab anno 1224. ad annum usque 1233., accidisse narrat Karamsinus (*xx*). Jamvero si ante saeculum tertium decimum ignoti Russis Tartari fuerunt, profecto nec ille Joannes, qui anno 1089. migravit e vita, nec alter ille, qui scripsit ad Alexandrum III., quippiam de Tartaris vel debuit statuere, vel potuit.

85. Nihil ergo impedit, quin concludamus, exeunte quoque saeculo undecimo Russos in sedis Apostolicae communione mansisse. Nam huic dissertationi tempus est, ut finem faciamus; quum de eo jam, quod erat propositum nostrum, dictum satis superque sit. Originem Christianae religionis in Russia declarare nostro in animo fuit, non vero ea simul persequi, quae ibidem

(*xx*) Eod. Volum. III. not. 28.

postea evenerunt. Equidem ubi Graeci deinde ab Apostolica sede omnino se sejunxerunt, Russi quoque impulsi sunt, ut eorum partes sequerentur. At vero etiamsi Russos illos, qui vel primis fortasse saeculis, vel saeculo nono laboribus cujusdam Archiepiscopi ab Ignatio consecrati ad Christum conversi sunt, vellet quis praeterire, certe ab initio generalis suae conversionis, quod ante finem saeculi decimi constituendum esse probavimus, ad undecimi saltem saeculi finem Russi illius Ecclesiae perfecta fruiti communione sunt, ad quam, ut loquitur sanctus Irenaeus (*yy*), *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles.*

(*yy*) *Advers. haeres.* Lib. III. cap. III.

APPROBATIO

Ut designati Censoris partes explerem, legi Dissertationem *de origine Christianae religionis in Russia*; in eaque non solum sarcta tecta habuit Auctor Christianae religionis dogmata, immo et morum doctrinam, sed asperrimam ac spinis obsitam quaestionem hanc eo in lumine collocavit monumentorum copia, omnigena eruditione, rationibus haud contemnendis, ut ad origines Ecclesiae Russorum illustrandas non mediocrem puto utilitatem sit allatura.

D. Paulus del Signore Can. Reg. Later.
Hist. Eccl. in Rom. Archig. Professor.

IMPRIMATUR

Fr. T. D. Piazza S. P. A. Pro-Mag.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.

ERRATA			CORRIGE
Pag.	Lin.		
9	10	nisi	nisi
10	18	Rnssiam	Russiam
11	11	Cristophorus	Christophorus
12	11 et 12	po-	post-
		stquam	quam
13	6	ceteris	eeteris
18	22	et si	etsi
22	8	Nnlla	Nulla
22	17	te xtus	textus
22	22	etiam	etiam
27	ult.	In loc ,	In loc.
28	4	est-	est.
29	8	affiirmare	affirmare
48	ult.	*Ruthenicum*	*Ruthenicum*,
67	19 et 20	Leib-	Lei-
		nitio	bnitio
79	20	cnm	cum
80	12	inqnirere	inquirere
82	13	ntique	utique
96	10 et 11	at-	at-
		qne	que
96	13	Latina	Latina ,
99	15 et 16	*etiam*	etiam
		ipse Legatum suum	ipse Legatum suum
104	16	hosce	hasce
106	6	tempcre	tempore

ERRATA			CORRIGE
Pag.	Lin.		
9	10	nisi	nisi
10	18	Rnssiam	Russiam
11	11	Cristophorus	Christophorus
12	11 et 12	po-	post-
		stquam	quam
13	6	ceteris	ceteris
18	22	et si	etsi
22	8	Nnlla	Nulla
22	17	te xtus	textus
22	22	etiaur	etiam
27	ult.	In loc,	In loc.
28	4	est-	est.
29	8	affiirmare	affirmare
48	ult.	*Ruthenicum*	*Ruthenicum*,
67	19 et 20	Leib-	Lei-
		nitio	bnitio
79	20	cnm	cum
80	12	inqnirere	inquirere
82	13	ntique	utique
96	10 et 11	at-	at-
		qne	que
96	13	Latina	Latina,
99	15 et 16	*etiam*	etiam
		ipse Legatum suum	ipse Legatum suum
104	16	hosce	hasce
106	6	tempere	tempore